6
40-e
17

12.

6
28 D
27

Digitized by Google

Digitized by Google

HERMANNI CONRINGII

Viri Summi

Regum quondam pluriumq; Imperii

Principum Consiliarii & in Acad. Jul. Medicinæ ac Politices Profess. longè celeberrimi

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

EPISTOLARVM SYNTAGMATA DUO

una cum

RESPONSIS.

Præmissa

Conringii Vita, Scriptorum Index, & de his Doctorum Virorum Judicia.

Cum Privilegiis perpetuis.

HELMSTADII.

Typis & Sumpt. GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.
Anno clɔ Iɔc xciv.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google


Pastaret medicos seu Paracelsus egros
Teutonix decus et priscos defendit honores,
Et fines sacro reddidit Imperio.
Frisia ei vitam, dein munia Guelphica tellus,
Famam orbis doctus, qua patet ille, dedit.
J.C. Böcklin fc.
HENRICVS MEIBOMIVS.

Viro Nobilisſimo, Amplisſimo atque Conſultisſimo

BIBLIOTECA NAZ. RCMA VITTORIO EMANUELE

DOMINO HERMANNO JOHANNI CONRINGIO

Hæreditario Domino in Zwilpſtedt/ Ser^mi ac Potentisſimi Electoris Brandeburgici in Ducatu Magdeburgico Conſiliario Cameræ, & Dicaſterii Provincialis Guelpherbitani Aſſeſſori Primario &c.

Domino, Fautori & Amico ſuo Magno

S. P. D.

CASPAR CORBERVS.

IMmortalis memoriæ parens tuus, *Vir Nobilisſime*, eum ingentibus ſibi meritis in Rep. literaria locum quæſivit, ut flos eruditorum non ſolùm per Germaniam, ſed

Digitized by Google

ſed & Italiam, Galliam, Belgium, Daniam, Sveciam, certatim illi cultum & ſtudia ſua deferrent, literisque ultrocitroque miſſis amicitiam cum eo contraherent ſancteque colerent. Nihil vel augendi vel aſſentandi gratia ſcribo, cujus & cauſas procul habeo, nec apud Te, *Virorum Optime*, locus eſt. Nihil affero, cui non fidem abundè faciant clariſſimorum toto orbe Virorum literæ, quorum αὐτόγραφα magno numero eâ, qua merentur, religione apud Te aſſervantur. Exilui ſanè præ gaudio, cum ad illa ſacraria tuo beneficio admiſſus tot virtute & doctrina præſtantium dexterarum opera & veſtigia conſpicarer: cum (ut è multis paucos nominem) *Grotii*, *Voſſii*, *Naudæi*, *Blondelli*, *Dallæi*, *Patini*, *Bignonii*, *Bigotii*, *Capellani*, *Juſtelli*, *Baluzii*, *Liceti*, *Severini*, *Caſtelli*, *Veslingii*, *Cottunii*, *Rhodii*, *Magliabeckii*, *Spanheimii*, *Mareſii*, *Schockii*, *Bartholini*, *Wormii*, *Pauli*, *Forſtneri*, *Schefferi*, *Bœcleri*, *Strauchii*, *Lambecii*, *Reineſii*, *Sennerti*, *Hofmanni*, *Meibomii*, *Sebizii*,

Hot-

Leibnizii, *Hottingeri*, *Wagenſeilii*, *Boſii*, *Arnoldi*, pluriumque his ſimilium conſecrata æternitati nomina in illo literarum faſciculo velut in eruditi orbis panegyri convenisſe cernerem. Poſtquam verò & ea, quæ literis illis de omni re literaria & civili gravisſimè ſimul atque elegantisſimè hinc & illinc acta atque diſputata erant, cognovi: non epiſtolas, ſed theſaurum mihi reperiſſe viſus ſum: cui tamen, quod tua benignitate licuiſſet, nolui ſolus incumbere, ſed, ut cum pluribus communicaretur, publicique juris fieret, optavi, auguratus fore, ut ſummis eruditorum ſtudiis exciperetur, reiſque literariæ non parum lucis fructusque afferret. Quam quidem non tam de meo ſenſu conjecturam feci, quam certisſimis & rerum argumentis ductus & temporum. Neque enim ex omni eruditionis ambitu quicquam avidius legi, magisque ſeculi genio arridere videbam, quam Clarorum Virorum epiſtolas: nec illas, quæ ſcriniis bibliothecæ Tuæ pa-

ternæ continebantur, ullis, quæ hactenus prodierunt, concedere judicabam : ſive claritatem illorum ſpectes, à quibus & ad quos ſcriptæ ſunt, ſive numerum & copiam, quæ non unum volumen grandioris formæ implere poſſet ; ſive denique rerum & argumentorum cum varietatem tum præſtantiam. Quin & induſtria nonnulla videbam juvari poſſe operis hujus Epiſtolici uſum, ut non paucis ejus generis præſtaret palmamque præriperet. Quod enim admanum eſſent epiſtolæ mutuò ſibi reſpondentes, atque ex plerisque integra ſeries rebus temporibusque connexa texi poſſet : res ipſa ſubjiciebat, ſingula ſic commodisſimè diſponi edique poſſe, ut conjungerentur, quæ ex argumentorum temporumque ordine ſibi lucem fœnerari, plenamque veluti rerum his epiſtolis actarum hiſtoriam referre poſſent. Quam in rem cum operæ meæ fidem ſtudiumque Tibi, *Vir Amplisſime*, cui

per

per Reip. negotia huic curæ ſupereſſe non licebat, offerrem: annuiſti facilis meo, quod publicum eſſe intelligebas, deſiderio, atq; ut, quodtemporis & typographi ratio hac vice permiſit, duo ſyntagmata epiſtolarum, publicarentur, permiſiſti: quorum alterum literas ad Reverendiſsimum Celſisſimumque glorioſæ memoriæ Principem & Epiſcopum Monaſterienſem ac Paderbornenſem *Ferdinandum, liberum Baronem de Furſtenberg*, Muſarum quondam delicium & præſidium, alterū *ad Stephanum Baluzium* V. Cl. Galliæ ſuæ, imò orbis eruditi decus & ornamentum, & ab his ad illuſtrem parentem tuum ſcriptas complectitur. Quas quidem, cum velut in guſtum futuri operis ſint præmiſſæ, ejusmodi eſſe affirmare poſſum, ut nec reliquarum quaſi his inferiorum deſiderium extinguere debeant, neque tamen non reliqui operis exſpectationem præclarè ſuſtinere poſſint. Ut enim, quæ deinceps fortè prodibunt, ſuis quæque dotibus placere poterunt,

Digitized by Google

nec, alienis ne obſcurentur luminibus, verendum erit : ita quas nunc emittimus, iis doctrinæ opibus inſtructæ, eâ morum gratia conditæ, tam pura dictionis venuſtate ſunt exornatæ, ut non aliunde auſpicatius procedere Epiſtolarum editio, nec acrius reliquarum deſiderium accendi potuiſſe videatur. Quare, niſi omnia me fallunt, non dubito, quin quicquid in orbe erudito eſt elegantiorum ingeniorum, magnam de literis hiſce in publicum editis Tibi gratiam habeat, & ardentibus votis reliquarum editionem non tam expetat quàm flagitet. Patieris verò Tu, *Nobiliſſime Conringi*, pro tuo in bonum publicum ſtudio & in paternum nomen pietate haud difficulter exorari, ſiquidem me haud vanum fuiſſe augurem, vel falſum publicorum votorum interpretem cognoveris. Atque adeò auſim jam tum bonitatis Tuæ fiducia polliceri publico epiſtolas inter Perilluſtrem *Baronem de Boineburg* Parentemque tuum per aliquot annos frequentiſſimè miſſas, quæ itidem in peculiare volumen hoc multò ſpiſſius proximè colligantur. Qui meminerunt (quis verò eruditorum non meminit?) Excellentiſſimum iſtum Emi-

Eminentisſimi Electoris Moguntini Adminiſtrum fuiſſe Germaniæ noſtræ Mæcenatem, ſeu recentior placet comparatio, Peireſcium, qui cura, proviſu, ope, & præſidio rei literariæ ſalutem & incrementa complexus eruditos paſſim excitaverit foveritque : jam ſine vate divinabunt, quid ex his literis ſibi polliceri debeant. Qui verò norunt eximium iſtum Heroa literarumque fugientium ſtatorem uno omnium Conringio uſum eſſe familiariſsimè, inque ejus ſinum intima pectoris ſui ſenſa & judicia effudiſſe : fieri non poterit, quin harum literarum ingenti exſpectatione teneantur: quas ſanè qui legerit, non multum Hiſtoriam illorum temporum literariam deſiderabit. Adderem & civilem: ſiquidem tempora ferrent, ut ſine periculo publicari poſſent, quæ de ſummis Reipubl. negotiis in hoc literarum commercio ſubinde reperimus annotata. Sed de his pro tua prudentia videbis: quæque ſine cujusquam offenſione bono publico edi poterunt, haud gravatim Conringiani nominis, hoc eſt,

variæ

variæ ſolidæque doctrinæ ſtudioſis imperties. Quo pacto & de re literaria bene mereberis, & paternæ famæ rectisſimè conſules. Quæ ut non ſolùm literarum monumentis (quod quamdiu ſuus literis conſtabit honos, aliter futurum non eſt) ſed & felicisſima generis nominisque Conringiani propagatione in omnem usque poſteritatem incolumis florens que transmittatur, ex animo precor. Salve & vale *Vir Amplisſime.* Dab. Helmſt.

X. Kal. Maji in Acad. Julia.

cIↃ IↃc xcIv.

VITA

VITA
HERMANNI CONRINGII
EXCERPTA
é
PROGRAMMATE FVNEBRI
ab
ACADEMIÆ JULIÆ
tùm temporis Pro-Rectore
MELCHIORE SMIDIO V. Cl. P. P.
conscripto.

**

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA
HERMANNI CONRINGII.

HERMANNUS CONRINGIUS natus est Anno CIↃ IↃC VI. Nov. d. 9. Nordæ, Frisiorum urbe, parente HERMANNO CONRINGIO, Ecclesiæ ibidem Antistite, avo autem JOHANNE CONRINGIO ob religionis persequutionem ex Transisalania eò profecto; Matre vero GALATEA, RUDOLPHI COPINI primùm in Ostfrisia, postea vero in Hollandia Delphensis Ecclesiæ parochi, filiâ, fœminâ pietatis & prudentiæ singularis, cujus HERMANNUS noster fuit proles nona.

Quintum ætatis cum ageret annum, pestilente morbo, illic locorum grassante, quâ sorores ejus omnes extinctæ, fratre in hac Academia jam tum vivente, correptus est, ita ut sub dextra mamilla anthrax ei fuerit exurendus. Doloribus illis territus puer, bubones duos ad ingven postea exortos occultavit, quorum quidem venenum naturæ bonitas & ineuntis ætatis vigor superavit, sed valetudinem tamen misere afflixit, in fœdam & malignam scabiem mali reliquiis desinentibus, usque adeo, ut aliquot a morbo mensibus, vix pedibus potuerit incedere, & longo tempore vires recolligere nequierit. Hinc factum, ut non ante sextum ætatis annum elementa prima & literarum cha-

racteres in ludo addidicerit, ubi ſtatim ingenii & memoriæ felicitas, atque indoles liberalium artium doctrinis apta emicuit. Quippe paucorum dierum ſpatio legere, & pietatis, Chriſtianæque religionis potiora capita pueris ediſcenda proponi conſveta, memoriæ mandavit. Sed mox & corpuſculi teneritudo, quod cum variis adhuc conflictabatur morbis, & malitia condiſcipulorum effecit, ut illa hyeme ludum non frequentans, domi a matre ſit edoctus. Septimo itaque tandem ætatis anno in Latinitatis, cujus quædam primordia delibaverat, ſcholam miſſus eſt.

Septennium in hoc ludo literario peregit, ubi pleraqve ſua ſponte, non Præceptorum induſtria, ita aſſeqvutus eſt, ut alii ætate ipſum & corporis proceritate multum ſuperantes, cum ſubinde eos in certamine viciſſet & ſuperiore loco ſedere meruiſſet, odio eum proſeqvuti ſint, ideoq; integrorum menſium ferias ille agere coactus ſit. Jam tum infinitæ illius Hiſtoriarum notitiæ initia a *Bucholzeri Indice Chronologico* fecit, & futuri magnificentiſſimi quaſi ædificii fundamenta altiſſima jecit. Annum agens decimum quartum luſit ſatyra quadam in *poëtas coronatos*, quæ cum forte fortuna in manus Cornelii Martini, hujus Academiæ tunc temporis philoſophiæ doctoris longe celeberrimi, veniſſet, adeo ejus lepore & elegantia captus eſt, ut & ſibi transmitti hunc Hermannum deſideraverit, & literas ea de re ad ejus parentem dederit, quibus ei perſvaſum ivit, ut ingenii magis magiſqve in hac ſtudiorum Univerſitate excolendi gratia filium ſibi crederet. Venit igitur in hoc Muſarum domicilium Anno CIↃ IↃC XX. & no-

Digitized by Google

& nomen dedit civitati Academicæ d. 25. Octobris, ædibus & convictu Cornelii Martini usus usque ad beatum viri ex hac vita discessum. Tunc enim ad Clariss. Virum Rudolphum Diepholdium, Græcæ Linguæ Professorem, Geographiæ & Historiarum oppido peritum magistrum, se contulit, apud quem biennium commoratus est, donec parentes, calamitatibus publicis non parum attriti, eum ex Academia revocandum duxerunt. Quanquam anno sequente, qui hujus seculi XXIV. reversus erat: tamen peste grassante & bello hîc quoq; irruente non multo post remeare fuit coactus. Sicut itaque à divino Cornelii, Academiæ hujus immortalis decoris, ore solida ingenii nutrimenta primum acceperat, ita porro per ejus successorem & collegas Aristotelicæ imprimis, tanquam melioris doctrinæ, præceptis est imbutus. Neq; interea Lingvarum tam Græcæ quam Latinæ cognitionem accuratiorem aut cultum politiorem sprevit, sed exemplo horum Magistrorum utrumque studium, suo commodo & magno emolumento, conjunxit. Non eo solum felix, quòd in optimos inciderit utilissimarum scientiarum doctores, sed etiam, quod procul à vanitatibus ac deliciis aliis, ab omnibus studiorum avocamentis remotus, summa discendi cupidine ductus, divinoque ingenii vigore per quodlibet honestarum doctrinarum genus fuerit grassatus. Anno igitur 1625. Lugdunum, Athenas illas Belgicas, petiit, ibique, & per totam Hollandiam, varietatem opinionum de Deo, ejusque cultu, tam vulgi quam à vulgo secretorum hominum miratus, temperare sibi non potuit, quin Theologicis controversiis, ve-

veritatis divinæ perſpiciendæ ergo, aliquid temporis tribueret. Interim tamen etiam Medicinæ operam dedit indefeſſam, ut praxeos & medendi tyrocinium ibi quoddam poſuerit. Quinquennio peracto, etſi Lutetiam Pariſiorum invitaretur, tamen Juliam Academiam, ex qua ſpes obtinendæ Profeſſionis Naturalis Philoſophiæ allucebat, aliis omnibus longè prætulit, & nullis belli incommodis deterritus, licet cuncta hinc milite hoſtili obſeſſa & infeſta eſſent, reverſus eſt. Anno igitur trigeſimo ſecundo commendatione illorum, qui ipſum propius noverant, Profeſſorum, Sereniſſ. Dn. Frider. Ulrico D. Br. & Luneb. innotuit, inde ſtatim deſideratam publice in hac Academia docendi Spartam obtinuit. Erat autem tunc Martis furore miſera Germaniæ facies, & hæc Julia deſolata, oppidumque infrequentiâ civium & incolarum inopiâ graminoſas habebat plateas, & nusquam tutæ peregrinationes, imò exercitu Papenheimico territi, alius alio, ipſe cum multis aliis Brunſvigam diſceſſit. Anno ſeculi 34. Diſputatione de Scorbuto publice habita, ſummorum in Medicina honorum petendorum licentiam impetravit, & biennio poſt tam Philoſophiæ quam Medicinæ Doctoris inſignibus fuit ornatus, ſimulq; eodem die 21. Aprilis Johann. Struckii Viri, ut ingenio & judicio maximi, ita inter excellentiſſimos hujus ſeculi Juris Conſultos numerandi, tunc hujus Academiæ Anteceſſoris primarii, filiam ſecundo genitam, ANNAM MARIAM, jam mœſtiſſimam viduam, matrimonio ſibi junxit. Durante matrimonio auſpicatiſſimo per quadraginta annos & 7. menſes auctus eſt non liberis minus quam opibus:

bus: Nempe undecim liberorum ex ea pater factus, ex quibus quatuor, binos filios, binasqve filias amisit teneros, reliquos superstites sibi reliquit, filium nim. Virum Nobilissimum Consultissimumqve HERMANNUM JOHANNEM Sereniss. ac Potentiss. Electoris Brandeb. Consiliarium, & Dicasterii Aulici Gvelferbytani Assessorem Gravissimum, nobilis Conringiani nominis ut hæredem unicum, ita felicem in filiis procreatis propagatorem: tum filias sex fausto omine elocatas omnes, & dignis genere virtutibusqve suis matrimoniis illigatas.

Cæterum, ut ad ipsum Conringium nostrum revertar, quantopere â Deo fuerit ornatus, quàm capacissimum ipsi fuerit ingenium, quàm acre judicium, & omnibus gratissima morum suavitas, quâ facile cujusvis favorem, Principum gratiam & clementiam, inferiorum observantiam sibi conciliaverit, inter omnes, qui eum noverunt, constat. Accessit indefessum quidvis addiscendi & assequendi studium, non labore, non vigiliis fractus aut dejectus fuit a proposito, ut propterea honore & auctoritate undique partâ, immortale & æternum limpidumq; Germaniæ, imprimis autem hujus Academiæ sit decus. Et primo quidem Naturalis Philosophiæ professio, non multo post quam hic conjugio inito domicilium fixit, Sereniſſimi Principis & Domini Dn. Georgii Ducis Brunsvic. & Luneburg. clementissimo jussu cum Medicinæ docendæ munere publico permutata est; atque cum Viri undique emineret excellens planè doctrina, stipendium non vulgare aut ordinarium tantum, sed cum quartæ partis augmento

ei

ei ſtatim eſt numeratum. Hac ratione tam docendo quam faciendo medicinam aliaque πολυμαθέια ſuâ gloriam non exiguam nominis excitavit. Utut verò antiquorum amator & venerator eſſet ſingularis: ad novorum tamen dogmatum in Medica arte prolatorum examen eo accedebat judicio, quod ipſi naturalis diſcernendi verum à falſo dexteritas, & inquirendæ veritatis indefeſſum ſtudium ſuppeditabat. Quemadmodum igitur Harvejanum de motu ſangvinis circulari inventum approbavit, & in hac Academia primus aſſeruit atque docuit; ita Paracelſicas nugas oppugnavit & disjecit. Ex Anatome corporis humani frequenter publice inſtituta obſervationes ſuas cum venerandæ antiquitatis placitis diligenter contulit, & ubique ſolertiam ſuam omnibus luculenter demonſtravit. Neq; Medicis illis curis laboribusqve ita totus occupari poterat, quin rerum civilium & Imperii Germanici accuratiorem doctrinam & juventuti Academicæ inſtillaret, & ſcriptis orbi erudito approbaret. Hinc factum ut patria terra Friſiorum quaſi invidere cœperit huic Ducatui & Academiæ ſuum populatem. Namque accerſitus eſt Ann. 1649. atq; ab Illuſtriſſima Principe tunc regente, honorificentiſſimo Archiatri & Conſiliarii intimi munere ornatus, rediit. Annoverò inſequente a Sereniſſima Chriſtina, Sueciæ Regina, præſtantium virorum ut æſtimatrice ita etiam ſingulari tunc patronâ, per illuſtrem Virum Joann. Adlerum Salvium Legationes Regias obeuntem, in Sveciam, amplisſimis conditionibus propoſitis, evocatus eſt. Etſi vero nihil quicquam in ſua Julia deſideraret, tamen magis fama Reginæ, quæ

ex

ex tota Germania plerosque extantes eruditionis gloriâ Viros colligere inter potiores curas regiminis sui habuisse videbatur, videndæ & alloquendæ, quàm majoris stipendii aut salarii gratia, iter in Sveciam 20. Maji 1650. Sereniſſimorum Ducum noſtrorum permiſſione impetrata, ingreſſus eſt. Poſtquam Holmiam appulit, a Regina & omnibus regni proceribus ſumma quidem clementia & favore exceptus eſt, tamen quæ offerebantur conditiones, ipſe ſuſcipere detrectavit, & poſt trimeſtre tempus, non ſine opulentisſimis donis & regiis munerationibus, imo Conſiliarii & Archiatri regii dignitate affectus, reverſus eſt. Nec ceſſavit Regia Chriſtinæ Majeſtas, clementiam ſuam & magnificentiam etiam erga abſentem exponere, cui non ita multo poſt literis ſalarium annuum mille ſexcentorum thalerorum promiſit. Cumque poſtea iterum ſolicitaretur ejus in Sveciam reverſio, Sereniſsimis Principibus & Ducibus Brunſv. & Luneb. hâc re humiliter ſignificata, clementisſimum obtinuit reſponſum, cui acquieſcens, hic commorari, quam in Sveciam abire maluit. Tanto quippe favore & amore Academiam ſuam Sereniſſimi Duces noſtri ſemper foverunt, ut ex eâ præclaros viros dimittere noluerint. Conringii autem ſingulares ingenii dotes tanti æſtimaverunt, ut ſalario aucto, alteram ei Civilis ſcilicet Prudentiæ, Profeſſionem ipſi contulerint. Ex eo tempore firmum habuit propoſitum nuſquam hinc migrandi, ſive in aulam, ſive ad alias Academicas vocaretur. Et quidem licet ſemper Politicarum rerum fuerit avidus & curioſus, tamen cum jam hanc liberalioris eruditionis par-

tem, non sane ultimam, publico stipendio docendi Spartam esset nactus, de novo ad hæc studia diligentius excolenda summopere est incitatus. Quid vero & in hac parte & ei cognata Imperii nostri interiore notitia, ingenio & vigiliis suis sit assequutus, Germania universa non modo, sed vicina quoque regna & totus, qua Latina Lingva intelligitur, terrarum orbis dudum perspexit.

Et jam nusquam non per Germaniam innotuerat ejus incomparabilis historiæ & antiquitatum Germanicarum cognitio & peritia, cum in rebus ad Rempubl. pertinentibus, ad controversias inter Principes, & Urbes, Cœnobia & regalia spectantibus, consilia ejus passim expeti cœperunt. Anno 1652. ad Ducatûs Bremensis Archivum inspiciendum & ordinandum tanquam interioris Consilii particeps fuit a Svecis adhibitus; Autumno verò in Frisiam de rebus summis vocatus, utrumqve negotium feliciter peregit. Similique in labore anno insequente perrexit, quo homagium a nonnullis Frisiis nomine Illustrissimæ Principis viduæ recepit. Ulterius emicuit ejus rerum Germanicarum singularis cognitio, cùm Eminentissimi Electoris Moguntini, cui jus coronandi Imperatorem eruditissimo edito scripto asseruerat, gratiam atque clementiam meruit. Cum ann. 1658. ut aliàs antea sæpius, in Frisia ageret, ibiqve rebus maximis deliberandis adhiberetur, Sereniss. & Potentiss. Carolus Gustavus Rex Sveciæ in Holsatiam accersitum Conringium sibi Consiliarium atque Archiatrum, mille quingentorum Joachimicorum annuo salario promisso, creavit; ea con-

di-

ditione, ut, si ipse in Sveciam se suamque familiam transferre vellet, alterum tantum quotannis ei numeraretur. Sed tam hoc, quam alia maximæ dignitatis munia oblata recusavit, & semper Academicam vitam, tranquillitatem & honestissimum otium aulicis conditionibus vitæque actuosæ præferens, in dulci Musarum sinu placide quiescere, quam fortunæ inconstantis strepitum terroremque alibi metuere, maluit. Eodem anno, scriptus de *Vicariatu Imperii* libellus Serenissimo Electori Palatino Carolo Ludovico, qua erat prudentiâ & æstimandorum doctrinæ singularis librorum sagacitate, usqve adeò sese probavit, ut suam erga Conringium liberalitatem & clementiam donario egregio testaretur. Cum subinde negotiis Ostfrisicis occupatus teneretur, accidit ut Anno 1660. Legato Regis Galliæ Domino Gravellano, in aula Serenissimi Dn. Domini AUGUSTI, Duc. Br. & Luneb. agente, ipse gloriosæ memoriæ Princeps Conringii præsentiam requireret: qva occasione, perspectâ Principi laudatissimo beati nunc Viri, incomparabili rerum non ad Germaniam tantum ejusqve regimen spectantium, sed etiam ad vicina regna pertinentum eorumqve statum & conditionem penitiorem respicientium notitiâ & peritiâ, in Consiliariorum suorum numerum eum adoptavit, quam etiam retinuit dignitatem usque ad beatissimum illius Principis obitum. Is enim tanqvam eruditorum æstimator & Patronus maximus ob variam eruditionem & reconditarum rerum notitiam Conringium amabat, cumque illam Augustam, nulli in toto terrarum orbe secundam Bibliothecam condi-

disset, ipse eleganti editâ Epistola inter exteros eam celebrem, ut meretur, effecit Interea cum maximum per omnem Europam cum viris eruditione excellentibus literarum haberet commercium, inter illos etiam cum Illustri Viro Joanne Capellano Galliarum Regis Consiliario aliquod ei intercesit, qui ipsum Illustriss. Domino Colberto ejusdem Regis Ministro Status, tanquam inter Germaniæ Viros doctrinâ excellentes præcipuum commendavit.

Anno itaque 1664. Ludovicus Rex Galliæ doctissimis aliquot in Germania & Belgio Viris stipendia annua mille librarum numerare jubens, tantum abfuit, ut hunc in illo excellentissimorum virorum numero præterierit, ut potius non simplum, sed cum singulari augmento, usque ad initia belli cum Belgis suscepti, continuata Regia liberalitate, illud numerari fecerit.

Anno 1667. Colonienses ad Rhenum liberæ Civitatis Senatus de controversiis, quas habet illa urbs cum suo Archi-Episcopo & Electore, consilium expetivit Conringii, cumque ipsius præsentia requireretur, accersitum honorificentissimèque ibi tractatum amplissimis munerationibus ornatum remisit.

Anno 1669. Serenissimus Rex Daniæ eum Consiliarium status sibi esse clementissimè voluit, quam dignitatem permittentibus Serenissimis Ducibus Brunsv. & Luneburg. accepit.

Acres illæ inter Lindavienses ad lacum Brigantinum sitam rempubl. & Cœnobium illius loci, passim notæ lites & controversiæ, inter alia niti videbantur diplomate à Ludovico Imperatore Cœnobio illi dato;

Se-

Digitized by Google

Senatus igitur Urbis Conringii noſtri, tanquam earum rerum gnariſsimi ſententiam requiſivit, qui edita *Cenſura* ſua Anno 1672. toti erudito orbi falſitatem ejus *diplomatis* demonſtravit.

Denique & ipſa Imperialis aula de opere æterno *de Finibus Imperii* tam ſenſit magnifice, ut ſua intereſſe ſummopere exiſtimaverit illius libri ſecundam editionem, ſuoque modo auctiorem prodire; juſſit igitur ante biennium hunc laborem ut reſumeret, quod quidem ille agere cœpit, ſed hiſce difficillimis temporibus & dubiis rebus, non ſine animi quadam ægritudine, donec extremus vitæ dies finem labori attulit. Quid præterea ſummus vir in totius Germaniæ commodum ſcripſerit & laboraverit, quia in omnium recentiſſimâ verſatur memoria, hic recenſere ſuperſedemus. Unicum tantum eſt, quod præteriri non poteſt. Cum Anno 1648. librum ſub nomine *Irenæi Eubuli* edidiſſet, pacis faciendæ rationes ita propoſuit, ut Legatis & Deputatis ad Germaniæ tranqvillitatem reſtaurandam congregatis magni æſtimatus & quantivis pretii habitus, & ad Germaniæ tranqvillitatem reducendam non parum effeciſſe exiſtimatus ſit. Quid in aliis ardui negotii & ad ſummam Germaniæ Imperii pertinentibus rebus conſulendo & ſcribendo effecerit, ſilentio hîc involvitur. Tandem in Academiæ hujus Juliæ non ſolum defenſionem, contra calumnias malevolorum, quoties neceſsitas flagitavit, calamum ſtrinxit, ſed etiam, ad totius Eccleſiæ noſtræ & veritatis defenſionem *Vitum Erbermannum Apoſtatam*, *Fratres Wallenburchios* aliosque purioris doctrinæ Chriſtianæ hoſtes

oppugnavit. Quæ omnia pietatem & prudentiam, divinam cum humana ſapientia conjunctam in uno hujus animo fuiſſe manifeſto oſtendunt. Inter hæc omnia quæ ſcripſit & edidit opera luculentiſſima nec pauca, non deſtitit voce ſtudioſam Juventutem ſedulo informare, & ut primis publici muneris annis in Naturalium rerum inquiſitione, poſtea in re medica, ita ultimo in Politicis & ad Notitiam Imperii atq; publicum ſtatum, fideliſſimam manuductionem præſtitit. Quantam enim ille ſuſtulit confuſionem, Romanarum rerum cum Imperii hodiernis mixtarum? ut ſcilicet ſolidâ & perſpicua doctrinâ, non per ambages & aniles fabulas Juventus ad ipſam reipubl. noſtræ formam certius cognoſcendam, felicius aliquando gubernandam, deduceretur. Cum enim omnia ordine juſto, non ex alienis ſed propriis ſuis fundamentis & principiis per demonſtrationes, quantum rei proponendæ natura patiebatur, traderet, mirum non eſt applauſum publicum omnium auditorum fuiſſe ſubſeqvutum. Ita publicum & geminum docendi munus cum operoſo ad communem utilitatem ſcribendi labore conjunxit. Qui enim ſummi illius philoſophorum Principis Ariſtotelis inde ab ineunte ætate non lector modo ſed admirator & aſſiduus fuerat ſectator, quid mirum ſi illius veſtigia premens, gloriam non diſſimilem eſt conſeqvutus? Accedebat ad Veterum Philoſophorum, Medicorum, Hiſtoricorum, tam ſacrorum quam exterorum lectionem, etiam recentiorum ſcriptorum infinita fere notitia, ut de quacunqve re, ſive diſſerendi ſive ſcribendi animus ipſi eſſet, memoria, quam feliciſſimam nactus erat, totum

tum de eadem re consignatorum operum chorum ei suggereret, ita ut sine exaggeratione *Bibliotheca vivens*, & *Museum ambulans* ex re & vero dici meruerit. Sed non hic locus est ejus laudandi aut elogium scribendi, cujus vitæ nudam historiam hæc pagina capere non potuit. Corporis fuit in juventute quasi morbidi, postea vero sic satis firmi, nisi quod calculo subinde tentaretur. Sensus, auditum & visum imprimis, vegetos & firmos usque ad extremum retinuit vitæ diem, ut minutum characterem, cui scribendo insueverat, legere semper potuerit. Staturam vix mediocrem benignissima natura vastissimo ingenio, memoria fidissima, judicio limpidissimo compensaverat. Et sane, ut tenue corpusculum ferendis majoribus laboribus non erat aptum natum, ita illis quæ studia requirunt liberalia, vigiliis, lucubrationibus & assiduitati scribendi satis robustum videbatur, ut, nisi quædam domestica ægritudo, nisi animus subinde turbatus, nisi denique ex publica totius Germaniæ non adeo læta facie aliquid traxisset molestiarum, forsan beati parentis sui qui XCIIItio ætatis anno decessit, longævitatem haud difficulter consequi potuisset. Verum Deo Opt. Max. aliter visum. Cùm enim Natalem suum septuagesimum quintum non sine mœrore animi & lachrymis peregisset: ipse virium indies lapsantium infirmitatem sentiens & observans, non procul abesse vitæ finem, auguratus est, quod eventus comprobavit. Die enim mensis Decembris tertio cum decumbere cœpisset, ejusd. mens. d. 12. Anni cIↃ IↃC LXXXI. pie placidissimeq; acquievit Vir immortalitate dignissimus.

EPI-

EPITAPHIUM.

HOC TVMVLO
CLAVDITVR
REGVM PRINCIPVMQVE
CONSILIARIVS
JURIS NATURALIS GENTIUM
PVBLICI DOCTOR
PHILOSOPHIÆ OMNIS PERITISSIMUS
PRACTICÆ ET THEORETICÆ
PHILOLOGUS INSIGNIS
ORATOR
POETA
HISTORICUS
MEDICUS
THEOLOGUS
MULTOS PUTAS HIC CONDITOS?
UNUS EST.
HERMANNVS CONRINGIVS
SECULI MIRACULUM.

posuit

HENRICUS MEIBOMIUS.

SCRI-

SCRIPTA CONRINGII.

THEOLOGICA

1. *ANimadversiones in Mublmannum de Purgatorio. Adjecta sunt Conringii Programmata sacra, & Mulmannni ipsius assertiones. Helmst. 1651. in 4to.*

2. *Defensio Ecclesiæ Protestantium adversum duo Pontificiorum argumenta, petita à successione Episcoporum ac Presbyterorum ab Apostolis usq; derivata. ib. 1654.*

3. *Concussio fundamentorum fidei Pontificiæ ib. 1654.*

4. *Responsio ad Valerianum Magnum pro sua concussione. Adjectus est ipse Valeriani libellus. ib. 1654.*

5. *Animadversiones in Christophori Haunoldi libellum Concussion. fidei Pontificiæ oppositum. Adjectus est libellus ipse bid. 1654.*

6. *Responsio altera pro sua Concussione ad Valeriani Magni epistolam nuperrimam, quæ calci opusculi subjungitur. ibid. 1654.*

7. *Epistola de Electione Alexandri VII. Papæ, opposita appendici Examinis Erbermanniani. Accessit appendix ipsa. Helmst. 1655.*

8. *Animadversiones in fratrum Walenburgiorum Conringii laudati & correcti partem priorem de vocatione extraordinaria primorum Ecclesiæ Reformatorum. Quibus etiam sua Concussio Fundam. fid. Pont. ab iniquo contra Evangelicos abusu vindicatur. ib. 1663.*

****

9. *Ani-*

Digitized by Google

9. *Animadverſio in Novenam Sancti Antonii de Padua. ibid. 1675.*

10. *Diſcuſſio eorum, quæ oppoſuit ſuæ animadverſioni in Novenam Antonianam Dionyſius Werlenſis. ib. 1677.*

Alieno nomine aut ab aliis edita

Pietas Academiæ Juliæ programmate publico adverſus calumnias cum aliorum tum Ægid. Strauchii aſſerta. Helmſt. 1668.

Diſſertationes de ſudore Chriſti ſanguineo & aliis paſſionem Chriſti illuſtrantibus editæ, ab Job. Albrechts *in fine der* Paßions Andachten. *Hildeſ. 1674. in 12.*

MEDICA, PHYSICA ET PHILOSOPHICA

1. DE *Origine Formarum Diſput. Lugd. Batav. 1629.*
2. *Laudatio Ariſtotelis orationes duæ. Helmſt. 1633.*
3. *Introductio in Naturalem Philoſophiam, ac Naturalium Inſtitutionum liber unus. Helmſt. 1638.*
4. *Exercitationes de Fermentatione ad Billichii Anatomen Fermentationis Platonicæ. Francf. 1643. & Lugd. Bat. 1646. in 8. ad calcem libri de generatione & motu ſanguinis.*
5. *De ſanguinis generatione & motu naturali. Helmſt. 1643. in 4t. & Lugd. Bat. 1646. in 8.*
6. *De Germanicorum corporum habitu antiquo & nova. Helmſt. 1646. edit. II. aucta. ibid. 1652. & tertia auctior. ib. 1666. in 4t.*
7. *De calido innato ſive igne animali liber unus. Helmſt. 1647. in 4t.*
8. *De Hermetica Ægyptiorum vetere & nova Paracelſicorum Medicina. Helmſt. 1648. Edit. II. infinitis locis emendatior & auctior. Helmſt. 1669.*

9. *In-*

Digitized by Google

9. *Introductio in Artem Medicam. Helmst. 1654. & altero tanto auctior cura & studio Gunth. Christ. Schelhammeri. Helmestadi 1687.*

HISTORICA, POLITICA ET JURIS PUBLICI

1. *DE Origine Juris Germanici. Helmst. 1643. Editio altera cum opusculis hactenus non editis ib. 1649. Editio III. prioribus auctior, cum opusculis quibusdam novis. ibid. 1665. in 4t.*

2. *De Imperio Germanorum Romano liber unus. Helmst. 1644. Propediem nova hujus libelli editio prodibit, è MSto Auctoris auctior.*

3. *De Asiæ & Ægypti antiquissimis dynastiis adversaria Chronologica. Helmst. 1648.*

4. *De finibus Imperii Germanici libr. duo. Helmst. 1654. edit. altera libro 3tio aucta. Lipsiæ 1680. in 4t.*

5. *Assertio juris Moguntini in coronandis Regibus Romanorum. Prodiit (1) sine nomine autoris Moguntiæ 1655. & statim eod. anno cum nomine Auctoris Francof. sed (2) auctior & emendatior. Helmst. 1656. & (3) ibid. 1664.*

6. *Iterata dissertatio de jure coronandi pro Electore Moguntino contra Colonienses vindicias ἀνωνύμως. Mogunt. 1656.*

7. *Iteratarum vindiciarum juris coronandi pro Archidiœcesi Colonienſi Examen. ἀνωνύμως Francof. 1656. & præfixo Auctoris nomine emendat. Helmst. 1664.*

8. *Castigatio libelli; cui titulus; Anti-Conringiana defensio juris Colonienſis in coronandis Romanorum Regibus. ἀνων. Francof. 1656. & cum Auctoris nomine emendatior auctiorque. Helmst. 1664.*

Digitized by Google

9. *De Pace perpetua inter Imperii Germanici ordines religione dißidentes ſervanda libri duo, quorum prior ficto Irenæi Eubuli nomine cura Lampadii prodierat 1648. Helmſt. 1657. Edit. II altero tanto auctior prodiit. Lipſ. 1677. in 4t.*

10. *De civili prudentia liber unus. Helmſt. 1662.*

11. *Propolitica ſeu brevis introductio in civilem Philoſophiam cum adject. nonnullis ejusdem & Hopperi de varia & vera Jurisprudentia Helmſt. 1663.*

12. *De antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii & viciniæ. ibid. 1665.*

13. *Cenſura diplomatis, quod Ludovico Imp. fert acceptum Cœnobium Lindavienſe, qua ſimul res imperii & regni Francorum, ſeculi cumprimis Carolingici, illuſtrantur. Helmſt. 1672.*

14. *Exercitationes Academicæ de Rep. Imperii Germanici, infinitis locis mutatæ & auctæ, inque unum volumen redactæ. Helmſt. 1674. Ed. II. cui acceſſit diſſert. de capitulatione Cæſarea. Lipſ. 1677.*

SCRIPTA POLITICA ANONYMA VEL PSEUDONYMA

15. Gründlicher Bericht von der Ertz-Biſchöfflichen Gerechtigkeit über die Stadt Bremen. *1652. in 4t.*

16. *Cyriaci Thraſymachi Epiſtola de juſtitia armorum Svecicorum in Polonos. Helmſt. 1655.*

17. *Vicariatus Imperii Palatinus defenſus. 1658.*

NB. Conſulto hic omiſſæ ſunt editiones & ſcripta, quæ Auctor pro ſuis non agnovit, nec hæredes agnoſcunt.

Veluti Diſcurſus novi de Imperatore Romano Germanico. 1642. de finibus Imperii & imperio Romano Germanico in 8t. quæ Lugduni & Floridi Martini nomen mentitur, & quæ nuper

Digitized by Google

per Lipsiæ prodiit ao. 1692. in 4t. De Imperii Romano Germanici Rep. Acroamata sex historico-politica cum tractatu ejusd. de Imperio Romano Germanico. Ebroduni 1654. Thesaurus Rerumpubl. Genevensis in 8. contra quem extat Admonitio Conringii 1675. in 4t. aut si qui alii inscio Autore sunt editi, aut inposterum insciis hæredibus, quibus perpetuo S R.I. Vicariorum privilegio cautum est, excudentur.

PHILOLOGICA ET VARII ARGUMENTI

1. *LEssus seu Carmen Heroicum funebre in obitum Dorotheæ Principis. Helmst. 1635.*

2. *De Antiquitatibus Academicis dissertationes sex. Helmestad. 1651. Eædem plurimis locis emendatæ & insigni supplemento auctæ. ibid. 1674.*

3. *Dissertatio ad leg. 1. Cod. Theod. de studiis liberalibus urbis Romæ & Constantinopoleos. Helmst. 1655. Edit. II. aucta dissertatione de iis, quæ in studioso quovis requiruntur, qui in Academia velit studiorum fructum capere. ibid. 1674.*

4. *De Bibliotheca Augusta, quæ est in arce Wolffenbuttelensi Epistola, qua simul de omni re bibliothecaria disseritur. Helmst. 1661. Edit. II. cura filii è MSto paterno auctior. ibid. 1684.*

5. *Epistolæ hactenus sparsim editæ, nunc uno volumine comprehensæ, de varia doctrina. Helmst. 1666.*

6. *Epistola Gratulatoria ad Ducem Augustum, qua simul pium Principis institutum de nova S. Scripturæ versione à sinistris suspicionibus ac susurris vindicatur. Helmst. 1666.*

7. *Vindicatio suorum in Epist. Gratulatoria ad Augustum Ducem Brunsvic. d S. Ebræo Codice dictorum, ab iniquissimis calumniis Matthiæ Wasmuthi. Helmst. 1667.*

Digitized by Google

8. *Paradoxa de nummis Hebræorum Exercit. Academica de Republica Hebræorum, & commentariolus de initio anni Sabbatici & messis Ebræorum. 1675.*

LIBRI ALIENI
à
CONRINGIO
editi, recensiti & præfatione aut notis illustrati

1. *JAcobus Berengarius Carpus de fractura Cranii cum præfatione Conringii, sed nomine ipsius dissimulato. Lugdun. Batav. 1629.*

2. *Tacitus de moribus Germanorum, cum ampla Conringii præfatione de usu historiæ & Reipubl. Germanicæ notitia Helmst. 1635. Edit. II. cum notis criticis & excerptis monumentorum priscorum de rebus Germaniæ antiquæ. ib. 1652. Edit. III. multò auctior. ibid. 1678.*

3. *Aristotelis Politica latinè ex interpretatione Giphanii, cum præfat. Conringii. Helmst. 1637. in 8t. Eadem Græcè & latinè cum ejusdem introductione. ibid. 1657. in 4t.*

4. *Leonis III. Papæ Epistolæ ad Carolum M. primum editæ & notis illustratæ ab H. Conringio. Helmst. 1647. Edit. II. auctior & emendatior. ibid. 1655.*

5. *Philippi Salmutbi observationes medicæ cum H. Conringii præfatione de doctrina pathologica. Accedit Rolandi Capelluti libellus de peste. Brunsv. 1648.*

5. Tho-

Digitized by Google

5. *Thomæ Fieni Chirurgici libr. XII. primum editi cura H. Conringii. Francf. 1649.*

6. *Georgii Wicelii Via Regia. Accessere varia, quibus cum alia multa docentur, tum necessitas Reformationis Ecclesiæ Romanæ simulque Concilii Tridentini iniquitas ostenditur. H. Conringius in unum volumen redegit, & in singula præfatus est. Helmst. 1650.*

8. *Cassandri & Wicelii de sacris nostri temporis controversiis libri duo. Editio emendatior & auctior additis simul eò pertinentibus aliis cura H. Conringii. Helmst. 1659.*

9. *De Electione Urbani VIII. & Innocentii X. Pontificum commentarii Historici. Adj. sunt nonnulla alia ejusd. argumenti cum H. Conringii proœmio. Helmst. 1651.*

10. *Historia Electionis Alexandri VII. Papæ. Adj. sunt opuscula varia ejusdem argumenti cura Hermanni Conringii. Helmst. 1657.*

11. *Naamanis Bensenii Exercitatio Politica de summæ potestatis subjecto vindicata à Job. Figlovii aliorumque ineptiis & calumniis, quas parturit liber de imperio absolutè & relatè considerato, oppositus V. Cl. Hermanno Conringio. Præmissa est ejusdem Conringii Epistola de hoc ipso negotio. Helmestadi 1651.*

12. *Archiep. Mechlinienſis Rationes, cur abstinuerit à promulgatione Bullæ Papalis in Jansenium, recusæ cum præfatione Conringii. Helmst. 1654.*

13. *Starovolsci Polonia, cum præf. Conring. Wolffenb. 1656.*

14. *Hopperi Seduardus, seu de vera Jurisprudentia lib. 12. cura Herm. Conringii. Brunsv. 1656.*

15. *Machiavelli Princeps cum aliis nonnullis ex Italico partim nunc demum versis partim castigatis, curante Herm. Conringio. Helmst. 1660.*

16. *Ani-*

Digitized by Google

16. *Animadversiones in Machiavelli Principem. ibid. 1661. Utraque, curante filio, nonnullis locis auctiora prodiere. 1686.*

17. *Scioppii Pædia Politices & Naudæi Bibliographia Politica, ut & ejusdem argumenti alia, cura Hermanni Conringii. Helmst. 1663.*

18. *De bello contra Turcas gerendo libri varii selecti & uno volumine editi cura Hermanni Conringii. Helmestadi 1664.*

19. *Scipionis Claramontii de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus libri X. cura H. Conringii. Helmst. 1665.*

20. *Lampadius de Republ. Romano-Germanica cum annotatis Herm. Conringii ad partes priores duas ac tertiæ capita VII. Helmst. 1671.*

21. *Joh. Bodini responsio ad paradoxa Malestretti de caritate rerum ejusque remediis. Acc. ejusd. dissertationes de ærario & re nummaria, ut & quæ Hopperus docuit de bonorum Cæsareorum secundum LL. Justinian. curatione. Helmst. 1671.*

22. *Jani Dubravii de Piscinis libri 5. cum excerptis ejusd. argumenti aliis, cura H. Conringii & cum ejusd præfationibus. Helmst. 1671.*

Mittimus disputationes longè plurimas quâ Medicas quâ Politicas, ex quibus octo volumina confici possunt: partim ne justo prolixiores simus, partim quod multæ illarum Respondentes auctores habeant.

DE HER-

Digitized by Google

DE
HERMANNO CONRINGIO
Ejusque Scriptis
Doctorum Virorum
JUDICIA & TESTIMONIA.

HUGO GROTIUS Ep. ad Conring. script. an. 1634. quæ est in opere Epist. Grotian. Amstel. 1687. edito 358.

Clarissimo eruditissimoq; Viro
HERMANNO CONRINGIO
Philosophiam profitenti

ORatorem te præstitisti egregium, Conringi doctissime, cum in Sapientum Principis laudes vim eloquentiæ intendisti: nec minus Philosophum, cum ita temperasti laudes Aristotelis, ut posteris non adimeres spem quædam ipsi ignota discendi, aut temporis magisterio immutandi in melius, si quid felicissimi ingenii, humani tamen, conjectura à vero deflexerat. Judicium de laudatione Aristotelis

Planè ita est, ut dicis: ἡ παιδεία propria Aristotelis dos est, quæ in omnibus quidem ejus operibus eximia est, sed quod ejus legem sequi potuerit in tradenda animalium natura ac partibus, re tam varia, tum verò & in Poësi, quam furoris quoddam genus alii dixere, ad miraculum accedit. Tum verò syllogismos abstraxisse â materia, & sic Mathematicis disciplinis hanc addidisse partem in certitudine nihil cedentem cæteris, unius est Aristotelis munus. Quas ob causas aliasque multas, eos qui ex tanti nominis ruina famam sibi ædificare conati sunt, contemtu puniendos censeo: illos vero faciendos plurimi, qui juventutem à rivis partim arentibus, partim limo turbidis ad limpidissimum illum simul uberrimumque fontem revocant. Quare

*****

scho-

Digitized by Google

ſcholam veſtram Helmſtadienſem cum ſemper amavi, tum nunc hoc amo magis, quod fœtus inde tam humano generi utiles video enaſci. Me certe non tantum operis iſtius hic approbatorem, ſed & eruditionis prædicatorem ſemper habebis &c.

Id. ad eund. Ep. 670. data Lutetiæ 22. Octobr. 1636.

De Leſſo in obitum Principis Dorotheæ, & theſibus medicis

Quantum poëtica facundia valeas, Conringi doctiſſime, oſtendit Leſſus, felix Claudiani imitatio: quanta autem inte ſit cognitio rerum naturalium, ac præcipuè excellentiſſimi inter corpora humani, & eorum, quæ id perpeti natum eſt, docent theſes Medicæ, quas ad me miſiſti, præter ea, quæ antehac tua mihi videre ſumma cum voluptate atque utilitate mea mihi contigit. Ego verò ſicut omnium eruditorum amicitiam feci ſemper maximi; ita expetivi imprimis illos noſſe, illis noſci, quos generoſi animi impetus ad ſcandenda artium culmina, unde vulgus longè deſpiciatur, impellit. Quare dubitare noli, quin tuo merito tuus ſim &c.

Idem Ep. 1572. ad Gerardum Bode Reſpondentem Exercitationis de Urbibus Germanicis, quæ in opere Exercit. de Republ. Imp. Germ. eſt tertia.

VIR DOCTISSIME

de Exercitatione de urbibus Germanicis

- - - - Gratias tibi ago ac debere me profiteor ſummas, quod exactæ diligentiæ limatiſſimique judicii opus de Germanicis urbibus meo inſcripſeris nomine. Pro quo honore mihi habito, ſi quid vicisſim poſſim facere, quod tibi ſit ſvave, id facturus ſim & libenter & tuo merito. Legi libellum: planeq; cenſeo, quæ ibi ſcribuntur, eſſe vera, & hiſtoriis, tum illis, quæ ibi nominantur, tum minus cognitis aliis, quas vidi, congruentia &c.

JOH.

Digitized by Google

JOH. HENR. BOECLERUS in S. R. Imperio edit. Argent. 1663. p. 14.

Id jus (in urbem Romam) cum adhuc hodie durare oſtenderit doctiſsimus Conringius libro, quem in hoc argumento excellenter laudatum volumus, *de Germanorum Imperio Romano*, & in opere *de finibus Imperii* c. IX. & X. Romani imperii titulum non abſurdè ſibi vindicat, cui Roma ſubeſt. de Germanorum Imperio Romano

Idem Ibid. p. 34.

Verum nec potuiſſe vel Rudolphi vel Alberti vel Caroli IV. aut ullorum Cæſarum donationibus alienari ea, quæ ſunt imperii, neque non reſervatum eſſe ſummum jus Imperii in Romanos oſtendit, & nobis diſputationem ampliorem lucrifecit doctiſsimus Conringius in præcellenti *de Finibus opere* c. XX. & XXI. de opere de finibus Imperii

Id. in hiſtor. ſec. IX. & X. p. 11.

Addatur de legibus Caroli M. & conſtitutionibus civilibus & Eccleſiaſticis Melchior Goldaſtus in tomis conſtitutionum, & Cl. Hermannus Conringius, *de Origine Juris Germanici* c. 7. 10. 12. 13. & 14. de origine juris Germanici

Id. Ibid. p. 12. & 13.

Qualia fuerint ſub Carolo M. judicia, idem Conringius de rebus Germanicis præclarè meritus ſingulari diſſertatione *de judiciis Reip. Germanicæ* diſquiſivit. De judiciis Reipubl. Germanicæ

Idem Ibid. p. 282.

Variatum eſt in ſequentibus temporibus, creditumq; vulgò, hoc jus coronandi ad Colonienſem non conſvetudine tantum ſed lege prorſus tranſiviſſe. Sed exorta nuper controverſia Moguntinus iterum vicit. Quæ occaſio fuit conqui- De Aſſertione juris Moguntini

quirendi momenta rationum ab utraque parte, venitque ad manus meas, dum hæc scribo, Francofurti excusa *Assertio juris Moguntini in coronandis Regibus Romanorum* à Clar. Conringio scripta.

Id. Ibid. p. 286.

Fridericus I. Aquisgranensibus privilegium à Carolo M. concessum, ut ajebant (vel ut fingebant, quod Cl. Conringius in assertione juris Moguntini monuit) super hoc negotio confirmavit.

Idem Ibid. p. 295.

De Germanorum Imperio Romano

Imperii Romani & Imperatoris Romani nomen, qui restrinxerunt ad urbem Romam, quæque ejus ditionis sunt, exclusis omnibus aliis, ipsoque Regno Longobardico, ceu, ut postea dici cœpit, Italiæ; satis magna ratione motos dixeris, ad distinguendum, quæ in hac disputatione plerumq; confusius agitantur. Id quod incomparabili dexteritate præstitit Cl. Conringius in libro *de Germanorum Imperio Romano*. Sed ea diligentia in Historicis frustra fortè quæritur.

Idem in dissert. de eo, quod civitas egit.

De introductione in Aristotelis Politica

Laudat Conringii ista verba ex introductione in Aristotelis Politica: *Civitate significari totum quid sicut anima significat totam substantiam animatam*, & *addit*: Libenter utor verbis doctissimi Conringii: quorum veritas tum ex infinitis Aristotelis locis, tum ex hac ipsa disputatione, quæ primum libri 3tii caput constituit, demonstrari potest.

JOH. LIMNÆUS not. ad Capitul. p. 136.

De origine juris Germanici

Creditum hactenus vulgò fuit, Lotharium Imperatorem Romanas leges in Germaniam introduxisse: at quam longè

gè à verò hæc abeat opinio, non ita pridem docuit Herm. Conring. de origine juris Germ.

STEPHANUS BALUZIUS præfat. ad Capitul. Francorum n. 1.

Ita sensisse reperio virum inter Germanos doctissimum Hermannum Conringium in libro de origine juris Germanici c. 19. ubi & verba quædam Conringii ex eo libro laudantur. De eodem libro

Idem Ibid. n. 44.

Verum recte admonuit Herman. Conringius, falsam esse eorum sententiam, qui collectionem jussu Concilii Meldensis factam putant. *In margine citatur* lib. de origine juris German. c. 15. & 17.

Autor vindic. Anhaltinarum qui est MARTINUS MILAGIUS, Cancellarius Anhaltinus in refutatione Eclipseos p. 42.

Hic tamen Eclipsis erroneam illam relationem perstringi à Conringio. Eruditus certè est viri hujus rerum Germanicarum periti tractatus, quem nobis de Origine juris exhibuit. de eodem

MONZAMBANUS de Statu Imperii c. 5.

Ad potestatem legislatoriam pergimus. Ea cui competat, planius adparebit, si intelligamus, quali jure & unde introducto Germania utatur. Ubi facem nobis prætulit Hermannus Conringius erud. tractatu de origine juris Germanici, quem hic fere sequimur. De eodem

Idem in præfat.

Berolino me digressum aula Ducis Brunsvicensis excepit. Ubi præter cætera gratissimum fuit miscere sermones cum De scriptis juris publ.

Digitized by Google

cum Professore ex vicina Academia, quem jam tum Ratisbonæ à rerum patriarum notitia insigniter commendari audieram. Nam & in plerisque circa statum Germaniæ mecum consentiebat, & sua scripta longe diversum à reliqua turba genium præ se ferentia, promtè communicabat. In quibus etsi multa sat liberè posita erant, non obscurè tamen apparebat, non parum ipsum dissimulasse declinandis potentiorum offensis, aut ne insulsorum hominum clamores in se irritaret.

ERICUS MAURITIUS de Principiis juris publ. cap. 2. §. 3. edit. Tubing. 1665.

De notis in Lampadiū

Singulæ gentes suum habent idque peculiare jus publicum &c. Quod & more suo accuratè observat H. Conringius *in MStis notis ad Lampadium* in præfatione.

Idem ibid. §. 6.

De præfatione in Tacitum de moribus Germanorum

Qua de re operæ pretium est afferre integrum & elegantem H. Conringii locum, excerptum ex *præfatione, quam Cornelii Taciti de Moribus Germanorum* libello prolixam præmisit, cujus postrema se nobis valde probant. *Apparet,* (verba ipsius sunt) *cuivis vel leviter in banc juris publici scientiam intuenti &c.*

Idem in dissert. jur. publ. de origine Elect. & comitiis Electoral. c. 2. th. 3.

De Vicariatu Imperii Palatino defenso

Altera de Vicariatu controversia hodieq; durat, dum illam ad se pertinere utraque domus, abnuente altera, perhibet. Palatinus causæ suæ patronos inter alios esse voluit Viros celeberrimos Hermannum Conringium (is enim autor est libri anonymi, qui inscribitur *Vicariatus Imperii Palatinus defensus*) Joh. Freinsheimium &c.

JOH.

Digitized by Google

JOH. STRAUCHIUS JCtus, in disput. priore ad Tac. de moribus Germanorum habita Lipsiæ an. 1650. cum ibi historias profiteretur.

De causis habitus corporum Germanorum, non est meæ professionis agere. Videant & videantur Medicorum filii, & qui peculiarem huic rei dedit non ita pridem tractatum H. Conringius Medicus & Historico-Politicus Excellentissimus. De habitu corporum Germanicorum

JOH. HENR. MEIBOMIUS libro posthumo de cervisiis C. 3. §. 25.

Ab hac sicera sequior ætas siceratores dixit, non siceræ tantum sed aliorum potuum confectores. Carolus M. Imp. in capitulari de villis, edito â Clarisſ. & amicisſimo nobis Hermanno Conringio &c.

Idem ibid. C. 25. §. 15.

Quibus (scriptoribus cervisiæ usum & commoda prædicantibus) adde eruditisſimum H. Conringium, amicum nostrum singulari libro *de Germanicorum corporum habitu antiquo &c.* De habitu corporum Germanicorum

DAVID BLONDELLUS Geneal. Francicæ plen. assert. tom. 1. XLIX. fol. 46.

Leonis III. ad Carolum M. decem epistolas ex membranis Helmstadii ante aliquot annos reconditioris eruditionis vir Hermannus Conringius edidit. De Epistolis Leonis III. Papæ

BRIANUS WALTONUS in Prolegomenis ad Biblia Polyglotta proleg. II. n. 3.

Imò non desunt viri docti magnique judicii, qui Hermetem istum Mercurium Ægyptium, & omnia quæ de ipso feruntur, esse fabulosè conficta asserunt: ut videre est apud Conringium virum doctisſimum lib. de Hermetica Medicina c. 7. De Hermetica Medicina

THE-

THEOPH. SPIZELIUS de re literaria Sinensium p. 66.

De eodem opere

Omnem hunc literarum hieroglyphicarum thesaurum, speciosam illam Bembinam tabulam, & quicquid præterea passim supereſt, ne per Oedipum solidæ quicquam suppeditare doctrinæ judicat incomparabilis Conringius lib. 1. de Hermet. Medic. c. 14.

ATHAN. KIRCHERUS Mundi subterr. lib. XI. sect. 2. C. 7.

Unde eruditus Conringius in suo *de Hermetica Medicina* insigni sanè libro recte refert: Paracelsus, quantumvis acuti fuerit ingenii &c.

DANIEL GEORG MORHOFFIUS de metallorum transmutat. p. 101.

De eodem

Venio ad alteram dissertationis meæ partem de Antiquitate hujus artis & autoribus, per quos illa tradita est & propagata. Quo in argumento cum dudum summo ingenio ac industria versati fuerint Viri præclarissimi: Conringius libro de Medicina Hermetica, Reinesius in defens. Chymiatriæ Borrichius libro de ortu & progressu Chemiæ, quid opus est cramben illam à nobis recoqui?

M. AURELIUS SEVERINUS Neapol. in vipera Pythia ed. Patav. 1651. p. 345.

De Generatione & motu sanguinis

Quod advertit naturæ consultissimus Hermannus Conringius in Academia Julia Professor & scriptor absolutissimus in libro de generatione & motu sanguinis. c. 17.

JOH. RIOLANUS de motu circulat. sanguinis in grandi opere Anthropographiæ edit. Par. 1649. p. 554.

De eodem libro

Post Leidenses Medicos nuper in lucem prodiit liber Hermanni Conringii Professoris in Academia Julia doctissimi,

Digitized by Google

simi, qui strenuè defendit circulationem sanguinis per cor & pulmones.

PAULUS MARQ. SLEGELIUS in comment. de motu sanguinis contra RIOLANUM, in præfat.

De eodem libro

Ab hoc (Caspare Hoffmanno) si quis inter Germanos antiquitati est deditus & veterum gnarus: certè est Hermannus Conringius Phil. & Medicus Excellens. Hic verò in epistola an. 1640. ad me scripta fatetur, venerari se τὰ παλαιὰ, si quem alium: at sensibus magis fidere. Item vel invitum se rapi in castra Harveji & manus dare. Inquisivit autem studiosissimè in totam hanc doctrinam, & ipse egregio opere illustriorem reddidit.

THOM. BARTHOLINUS præf. ad Lectorem libri de luce hominum & brut. edit. secunda. 1669.

De calido innato seu igne animali

Post prima prioris editionis lineamenta, alii non inglorii in hac luce se exercuerunt Hermannus Conringius seculi ornamentum in *igne animali* &c.

VINCENT. PLACCIUS catal. Pseudon. p. 190.

De Pace consultatio

Irenæi Eubuli Theologi Austriaci de pace perpetua Protestantibus danda Consultatio Catholica Frideb. 1648. publicata, doctissima ac omnibus à rerum usu publico juxtaque religionis ac eruditionis cura non omninò remotis innotuit non minus ac Illustris & Excellentissimus egregii hujus scripti auctor HERMANNUS CONRINGIUS, postquam in suis de pace perpetua libellis Helmst. an. 1657. in 4. excusis publicè partum suum quasi postliminio genuinum ipsus agnovit ac probavit. Atque utinam omnes alii Pseudonymi tam consultè feliciterque nominis occultationem adhibuissent. Hoc siquidem scriptum, non modicum ad promovendam inæstimabilem pacem Osnabrugensem mo-

******

menti

mentí tum attuliſſe noverunt ii, quibus temporis illius res geſtæ & conſilia vel aliqua ex parte innotuerunt.

JOH. SCHILTERUS JCtus Exerc. XX. ad Pand. p. 406.

De Pace civili

Sed quorſum me abripit agonizantis patriæ amor? Vos qui mox rebus & conſiliis intereſſe laboratis, Commilitones, de his unicum civilis prudentiæ ſuperſtitem Auctorem Hermannum Conringium, cujus ſcripta omnia meritò admiremini, in aureo de Pace civili libro differentem auſcultate.

SAMUEL MARESIUS igne fatuo Valeriani Magni p. 160.

De Concuſione fundament fidei

Sed circa hæc ſufficiat amandaſſe Monachum ad Amplisſimi & doctisſimi Viri D. Hermanni Conringii Concuſſionem fundamentorum Fidei Pontificiæ, cui Valerianus ſolidam reſponſionem debet, & debebit æternum.

Idem ibid. p. 214.

Concluſiones ejusd. concuſſionis vocat invincibiles.

ELIAS VEJELIUS SS. Theol. D. Prof. & Eccleſ. Ulmenſis Exerc. Hiſt. Theol. de Eccleſia Græcanica hodierna p. 32. & ſeqq.

De Purgatorio

Contendantur modo invicem ea, quæ ὁ πάπιυ Conringius ſcripſerat, cum iis quæ Allatius repoſuit &c. ubi adverſus Leonem Allatium defenſionem ſuſcipit eorum, quæ Conringius de Purgatorio contra Muhlmannum ſcripſerat.

Dominus JOH. MABILLON de re diplomatica lib. 1. c. 1. § 2.

Cenſura Diplomatis Lindavienſis

Multi varias ſparſim regulas, ubi de ſingulari inſtrumento agebatur, tradiderunt; inprimis Leo Allatius in animadverſionibus ad fragmenta Antiquitatum Etruſcarum, & *Hermannus Conringius in Cenſura Diplomatis Ludoviciani* pro cœnobio Lindavienſi: at nullus ad hoc usque tempus peculiari tractatione rem aggreſſus &c.

J. G.

Digitized by Google

J. G. SULPICIUS (Culpisius) *Dissert. de studio juris publici.*

De notis in Lampadium

Illis tamen, ac in universum cæteræ tractationi Lampadianæ imperfectiori egregiè subvenerunt *Annotata* ab *Hermanno Conringio* V. Cl. aliquando addita, quorum pars publicè extat, reliqua manu scripta in Eruditorum manibus versatur.

Idem ead. Dissert.

De Prudentia Civili, Propoliticis, introductione in Aristotelis Politica

De civilis prudentiæ studio hic professa opera nihil traditur, --- cujus alias solidior cognitio unde & quomodo comparari possit ac debeat, præter eos, qui *consilia* hanc in rem fecerunt, qualia in Belgio conjunctim edita, ac denuo cura *Hermanni Conringii* Helmestadii recusa extant, hujus libellus *de prudentia civili* & *Propolitica* per partes demonstraverunt. Addenda est ejusd. *introductio in Aristotel. Politica.*

Idem in Dissert. de studiis Academicis.

Omnino autem prætereunda non sunt jam laudati *Conringii* duo opuscula quorum unum de *prudentia Civili*, alterum *Propoliticorum* indice præfixo, in publicum vulgavit, à quorum lectione studium hoc felicissimè auspicamur. Sunt enim *Conringii* in hoc disciplinæ genere labores ferè incomparabiles.

MORHOF. Polyhist. lib. 1. c. 16.

De Antiquitatibus Academicis

Ad historiam literariam pertinent & illi, qui de Academiis scripsere. Hic primo loco meritò poni debet HERMANNUS CONRINGIUS Vir πολυμαθέστατος, qui de *Antiquitatibus Academicis* librum singularem scripsit. Ejus postrema editio multa habet additamenta, quæ pene altero tanto superant editionem priorem. Liber est doctus, & in hoc argumento ferè unicus.

Digitized by Google

JUDICIA DE CONRINGIO EJUSQUE SCRIPTIS.

GVY PATIN. lettr. 330.

Martinus Schoockius à écrit beaucoup de livres - - - Il est aussi sçavant, que ces anciens Sophistes, qui disputoient & ecrivoient, de tout ce, qui se pouvoit sçavoir. Lui & *Conringius* en Allemagne sont en cette façon de science & d' ecrire le plus sçavans hommes de l' Europe.

Coronidem his judiciis imponat Epigramma Græcum, quod exornando huic operi insigne ἄγαλμα suspendit Nobilissimus Senator & Ædilis Lipsiensis FRID. BENEDICTUS CARPZOVIUS JCtus, Vir demerendis literatis literisque promovendis totus natus.

IN EFFIGIEM
VIRI CELEBERRIMI
HERMANNI CONRINGII
ut ingenio & doctrina maximi, sic corpore & statura parvi.

Οὗ νόον, οὗ σοφίαν γλύπτης οὐκ οἶδε κολάπτειν,
Βαιὸν ἀριπρεπέος δείκελον ἀνδρὸς ὅρα.
Δεύτερον ἂν φαίης μὴν Τυδέα θοῦρον ὑπάρχειν,
Ἐν δαῒ Καδμείων ὃς περιέσκε κόρων.
Αὐτὰρ ὅγ' οὐ Τυδεὺς· ὁ μέγας ΚΟΝΡΙΓΓΙΟΣ ἐςι,
Τοῦ μέγα καὶ μεγάλη γαῖα τέθηπε κλέος.

FRID. BENEDICTUS CARPZOVIUS.

HER-

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

HERMANNI CONRINGII

AD

STEPHANVM BALVZIVM

Tutelensem,

ET

Hujus ad Illum

EPISTOLÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Clarissimo & eruditissimo
VIRO
HERMANNO CONRINGIO
STEPHANUS BALUZIUS
Tutelensis
S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

INter familiares sermones, quos invicem miscemus ego & Johannes Capellanus Vir excellens in omni genere laudis, incidit persæpe mentio de te, Vir Clarissime; eaque mentio semper fuit honorifica, ut de Viro, quem omnes plurimum amare & revereri debeant ob egregias animi dotes & summam eruditionem. Cum autem ante hos dies illi aperuissem consilium, quod ceperam, scribendi ad Clarissimum Virum Joachimum Hildebrandum, ut is ad me mittere vellet variantes lectiones ex codice Concilii Remensis adversus Arnulphum, cujus vetus exemplar, illud ipsum nimirum, ex quo prima editio prodiit, extare in Bibliotheca Academiæ Juliæ affirmat Vir doctissimus in præfatione, ad libros Reginonis de ecclesiasticis disciplinis, obtulit se mihi Capellanus, effecturum se omnino confidens, ut tua mihi opera ad eam rem usui esset, neque dubitare se, quin tu pro eximia tua in homines bonarum literarum studiosos inclinatione lubentissimè faceres. Quoniam verò jam pridem optaveram

ut se mihi aliqua daret occasio intrandi in familiaritatem tuam, propter variam ac multiplicem eruditionem, quam deprehendi in lucubrationibus tuis: facilè istam amplexus sum, ut qui semper valde amavi literas & literarum studiosos, & memet in eorum amicitiam, non improbanda, uti reor, ambitione, insinuare curavi à primis adolescentiæ meæ annis usque ad hanc ætatem. Quo loco continere me non possum, quin mentionem faciam Illustrissimi ac celeberrimi Viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis, qui me admodum juvenem ad se vocavit, in domo sua per multos annos habuit, mecum studia sua liberalissimè communicavit, denique, ut sui in me amoris abundantiam mihi ostenderet etiam moriens, cum supremis suis consuleret, omnium schedarum ac lucubrationum suarum curam & sollicitudinem mihi uni reliquit: quo nihil mihi præclarius aut honorificentius contingere poterat. Deinde affirmare possum, quotquot sunt in Gallia & in hac præsertim urbe, qui famam aliquam habent inter literatos, eos homines mihi amicos esse, & studia mea adjuvare pro suo quemque virili. Idem à Te mihi polliceri ausim, Vir eruditissime, postquam à Capellano tuo meoque intellexeris quàm magnificè sentiam de tuis virtutibus, & quantus sit meus erga bonas literas amor. In præsentiarum autem indigeo auctoritate tua, qua plurimum, uti opinor, vales apud Clarissimum illum Virum quem supra nominavi, Joachimum Hildebrandum, uti eum horteris, quod illum sponte sua lubenter facturum puto, sed tamen horteris, ut ad me transmittat variantes lectiones ex codice illo Concilii Remensis, & si quæ alia venerandæ antiquitatis monumenta hactenus inedita illic extant. Multi sunt anni, Vir Clarissime, ex quo in gravissimum & pulcherrimum opus incubui, nimirum in collectionem eorum Conciliorum, quæ fugerunt diligentiam R. P. Philippi Labbei Presbyteri è Societate Jesu, qui aggressus

Digitized by Google

sus erat amplissimam omnium Conciliorum editionem. Ea nunc curatur ab alio ejusdem instituti Viro, & jam pene perventum est ad finem operis. Institui autem, post peractam illam editionem, e vulgare duos aut tres tomos eorum Conciliorum, ut dixi, qui collectorum istorum diligentiam fugerunt. Itaque cum illi, Severinum Binium secuti, omiserint in hac sua editione acta Remensis illius Synodi, nescio quam ob causam, editioque illius quæ olim prodiit, nunc venerit in raritatem, existimavi esse officii mei, ut tam illustre Gallicanæ Ecclesiæ monumentum meæ collectioni insererem: quod meum consilium laudant, approbant, & sua auctoritate incitant multi viri docti, & inter hos nonnulli etiam Episcopi. Fuere qui acta illa falsitatis arguerent, interpolataque esse pronunciarent fraude & ambitione Gerberti, qui per calcatum Arnulphum pergebat ad Cathedram Remensem. Sed ista gratis, ut opinor, dicuntur. Et necessarium fortasis erit istas hominum de Gerberto malè sentientium cogitationes seriò & graviter excutere. Qua in re magno nobis adjumento erit vetus ille codex Academiæ Juliæ, si modo ad me mittantur, uti spero, variantes illæ lectiones quas à vobis efflagito. Adnotanda porrò erit antiquitas libri manuscripti, ne quid editorem bonæ fidei latere possit. Quod si tu, Vir eruditissime, aliquid habes, quod huic meo instituto conducere possit, veluti Concilia aliqua provincialia hactenus inedita, aut veterum Pontificum Romanorum epistolas, præsertim si quas habes similes epistolis Leonis III. à te vulgatis, si istiusmodi monumenta habes, & mecum communicare velis, erit unde testatam facere possim universis bonitatem & humanitatem erga me tuam. Ego vicissim, si quid tibi mea industria efficere poterit, tibi non deero. Vale, Vir Clarissime & eruditissime. Lutetiæ Parisiorum III. Nonas Julii MDCLXX.

Digitized by Google

II.

STEPHANO BALUZIO

Viro Illustri

S. P. D.

EGo verò, Clarisime Baluzi, ab aliquot jam annis & magni æstimavi eruditionem tuam, & studium veri rectique dilexi. Simulac enim intellexi parte alterâ auctius prodiisse immortale Illustrimi Petri de Marcâ opus, quod prior editio desiderium excitaret, curavi illud ex Gallia mihi adferri; ibi verò statim deprehensum abs me est, eximiam illam indolem hospitis quondam tui quasi in te commigrasse. Ex eo usque magni te feci merito tuo: crevit verò tui amor, ubi accepi Romanæ censuræ iniquitate non moveri te ab instituto, imò fortiori hoc fulmen animo abs te acceptum atque olim sit factum ab ipsomet Marca. Plurimum itaque exhilaraverunt me literæ tuæ inexspectatò oblatæ: præsertim quia certo mihi illæ testantur, me quoque apud Te non in nullo esse pretio, & jam tum aperta mihi omnia ad sanctiorem tecum amicitiam imposterum colendam. Et verò non equidem agnosco in me illam doctrinæ vim, quam tua tribuit laudatio, nec quænam scripta mea hunc affectum tuum expresserint novi: amicitiam tamen posthac justâ me pietate culturum, audeo bonâ fide polliceri. Ut proinde possis jam operam meam tuo etiam jure imposterum flagitare, si visum fuerit commodum. Hildebrando literæ tuæ erunt indubiè acceptisimæ. Non poterit autem ille exspectationi satisfacere, quia jam multos annos hinc abest, ἐπισκοπὴν Ecclesiarum integri amplisimi Ducatus Lyneburgici administrans, nec quod equidem sciam hic variantes lectiones quas expetis olim collegit,

legit, codice autem illo mss. noſtro nunc deſtituitur. Igitur quo deſiderio tuo ſatisfiat, ipſemet ego laborem hunc ſuſcepi: contuliqueadeo codicem illum noſtræ Juliæ Bibliothecæ membranaceum, quem ſcribendi ratio ſignificat, minimum eſſe quingentorum annorum & notæ optimæ; cum Synodici libelli editione Wechelianâ, quæ poſt Flacianam, Centuriæ Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Magdeburgenſis quam appellant Decimæ cap. IX. inſertam, altera & forte ultima eſt. Nec enim illa quam Cheſnæus quarto tomo Francicorum ſcriptorum p. 101. collocavit, cum peſſimo exemplo ſit mutilata, non indigna eſt, quæ reliquis annumeretur. In conferendo notandisque variis adhibitam abs me juſtam induſtriam, ſancte teſtor. Sed & jam tum utraque editio adeò eſt ſibi ſimilis, ut ſuſpicioni ſequiori non ſit locus. Et ſanè quod Baronius ſcribit Tomo X Annal. ad ann. 991. primæ editioni *intextas eſſe alias blaſphemias & annexa mendacia*, mera eſt ærugo animi Curiæ Romanæ amore nimio infecti. Flacii verò bonam in edendo fidem abunde utique teſtari poteſt, adhuc etiam, qui nobis ſupereſt mss. codex, κτῆμα olim ipſius Flacii. Nec enim quod omiſerit capitulum LVI, quod in codice noſtro additum, à mala ejus fide eſt, ſed errore; quia videtur credidiſſe Africana illa aliena eſſe à Gerberti libello, & à librario perperam aſſuta, quodq; jam tùm Centuriæ quintæ fuerint inſerta. Verè tamen partem ultimam libelli conſtare Africanis illis, potuiſſet diſcere ex indiculo capitulorum, & fine capituli viceſimi ſeptimi. Sed & (ut ante dixi) in noſtro codice Africanis illis titulus apertè eſt inditus *Capituli LVI*, quamvis à Flacio deletus. Ego cùm obſervaverim, à Gerberto paſſim illa Africana laudari tanquam normam, ad quam Romani Papæ poteſtas circa Epiſcopalia

judicia sit exigenda, & ab illo esse libello conjuncta, nostrumque codicem hac etiam parte esse eximium; quo justa integritas libello possit per te reddi, etiam illorum varias lectiones notare, duxi pretium operæ. Quoniam verò & Wecheliana editio destituitur illis Africanis, imo & codex MSS. unde expressa est, desiit in Capitulo LV; institui collationem manuscripti nostri cum illo Codice Canonum Dionysii Exigui, qui prodiit Lutetiæ curâ Christophori Justelli anno seculi hujus quadragesimo tertio. Nisi quod Canones Concilii Nicæni Africanis nostris inserti non potuerint à me commodè cum Dionysiano illo codice conferri, quia in Canonum illo codice Nicæni canones reperiuntur, quales illos vertit Dionysius, in Gerbertiani autem libelli Africanis, quales ex Græco transtulerunt bini illi interpretes Africani; quæ versiones nimis multùm differunt. Poterit autem illa versio vetus facili negotio promi ex Conciliorum collectione Suriana: quæ indubiè ad manum tibi est. Omnes verò illas abs me notatas mitto: & quidem primâ chartæ facie, primorum quinquaginta quinque capitum, subjuncto indiculo eorum quæ continentur capitulo LVI: alterâ Africanorum quæ dixi. Longè gratissimum fuerit, libellum illum tandem aliquando reliquis Conciliis nullâ mutilatum parte videre adjunctum. Optimè profectò mereberis, doctissime Baluzi, isthac curâ de Sacerdotio pariter ac Imperio: & quo magis in odio est libellus Curialium, eò major erit apud intelligentes, bonos, & veri studiosos, nominis tui gloria. Et verò Romanæ communionis nemo hactenus præ Curiæ metu ausus fuit libellum illum publicare (nam & altera editio, nisi fallor, Bongarsio debetur, perinde atque Synodi Parisiensis de Imaginibus) imò nemo ausus fuit ejus omne argumentum vel recitare; ipsomet

met Marcâ *l. 7. cap. 25* dissimulante, cùm ea quæ ab Arnulpho Aurelianensi cap. 28. acerrimè dicta sunt adversus iniquos conatus Romanenses fictâ Damasi Epistolâ subnixos, tùm illud Gerberti studium intra cancellos ab Africanis quondam Patribus positos Romanam jam tùm glisscentem μοναρχίαν coërcendi. Nusquam Baronius commotior est quàm in confutando libello isthoc. De bono illo Gerberto non dubitavit apertè affirmare in historia anni 999. *Nullum hactenus in Petri sedem fuisse promotum, qui eandem sedem ita prosciderit ut Gerbertus.* Tantum abest, ausum quenquam vel laudare vel defendere ab Aurelianensi Arnolpho vel Gerberto dicta. Nec enim cùm scriberet Archiepiscopus Spalatensis illa Baronio opposita, l. 4. num. 46. usque ad 62, Romanarum amplius erat partium, non certè cùm ederet. Nescio an ferat tuum institutum, adjici Synodo illa quæ in Francofurtensi editione annexa sunt Gerbertiana ad Walderodum Argentoratensem & Siguinum Seronensem. Si visum fuerit addere, ex re fuerit adjungere etiam orationem illam Gerberti, quam, ceu habitam in Concilio Mosomensi, Centuriatores ex nescio quo veteri codice (nec enim in nostro legitur) pag. 517. ediderunt; cum ejusdem sit argumenti. Interest sanè veritatis, non perire etiam illa, imò cum cura legi. Cæterum perplacet profectò tuum præclarum propositum de evulgandis Conciliorum hactenus prætervisorum tomis. Libentissimè sanè symbolam conferam, si quam potero. Vereor autem ut possim, cum parum instructi simus à manuscriptis, & in Germania rarissimæ fuerint habitæ Synodi, saltim ab ævo Gregorii septimi: Episcopis ad seculares curas Principalibus dignitatibus, quas sunt consecuti, protractis, & Papis Episcopalem auctoritatem sua nova monarchia

narchia è medio tollentibus. Excutienti tamen nunc adeo mihi Centuriam decimam, occurrit pag. 442. Synodus Romana â Joanne XII. contra Leonem habita. Expressit illam Flacius ex mss. veteri libro, quem legere me memini in Bibliothecâ nostrâ Juliâ. Illius editionem si parare placuerit, mittam quas reperero Varias. Quod si quæ alia hujus argumenti inciderint in manus, significabo. Papalium literarum monumenta memini in nostris mss. complura mihi lecta olim : sed forte jam alibi illa sunt edita, jamque dudum non sunt inspecta. Ut proinde hac vice nihil possim promittere. Quoniam tamen in Codice isthoc mss. qui Reginonem & Synodum Remensem comprehendit, præter Apologiam, qua causam suam Ebbo Remensis defendere est conatus, comparet Paschalis Papæ illud Breve, quo Christianæ doctrinæ per Septentrionalia regna propagatio Ebboni est commissa, illud indicare Tibi, officii mei esse duxi. Nec enim morari te amplius hac vice quidem decet. Tu verò, eruditissime Baluzi, vale bono literario ; & certò Tibi persvade, fore semper Tui studiosissimum

Helmstadii 24 Julii 1670.

Hermannum Conringium.

III.

Clarissimo & eruditissimo Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS

Tutelensis

S. P. D.

Suavissimæ literæ tuæ mihi redditæ fuerunt his diebus à Clarissimo Viro Joanne Capellano amico meo tuoque, Conringi

Digitized by Google

ringi Vir Clarisſime. Dictu autem difficile eſt, quanta me lætitia affecerint, qua voluptate perfuderint. Non ſolum enim humaniſsimè ad meas reſpondiſti, ſed admodum erudite, ut decebat Virum eruditisſimum, ac præterea ad me miſiſti variantes lectiones Concilii Remenſis adverſus Arnulphum, denique mihi tuam omnem operam amantisſime polliceris. Ad quæ ſingula tibi reſpondebo pro tenuitate ingenii & eruditionis meæ.

Primum gratias ago quod de me ita judicas ut in me putes eſſe aliquam bonarum rerum cognitionem ac ſtudium recti: deinde quod laudas fidem ac reverentiam meam erga memoriam magni Viri Petri de Marca Archiepiſcopi Pariſienſis, optimi Patroni ac Mæcenatis quondam mei. Ingratisſimum enim verò me eſſe oportuit, ſi pro ſummis ejus in me beneficiis, præſertim pro eximio illo & non vulgari amore, quo me proſequebatur, non rependiſſem ſaltem gratias quas poteram. Poteram autem aliquas rependere occaſione editionis librorum de Concordia Sacerdotii & imperii; ad quam inſuper obſtrictus eram ſupremo morientis mandato, qui paulo ante abitionem ex hac vita ſuam, mihi curam editionemque lucubrationum ſuarum commiſerat. Feci itaque, quod imperaverat, ea fide & ea diligentia quæ à Viro bono exſpectari poterat. Viderint illi qui adverſum me propter hanc editionem clamitant, quas juſtas conquerendi cauſſas habeant. Mea mihi conſcientia pluris eſt quàm hominum ſermo, ut Tullianis verbis utar. Neque enim eſt cur me pœnitere debeat iſtius editionis, tametſi adverſum me propter hoc facinus excitata ſit gravis illa tempeſtas, cujus rumorem etiam ad vos usque perveniſſe intelligo ex literis tuis. Laudaverunt interim quotquot bonas literas amant, quotquot veri ac recti amantes ſunt. Adeo autem acceptus fuit hic liber iis qui bonarum literarum ſtudio ducuntur, ut altera illius libri editio procuranda fuerit, ſic abſorpta priore,

ut ne unum quidem exemplar venale remanserit apud Typographum. Hanc porrò postremam editionem variis observationibus illustravi ex antiquitate petitis, editis etiam illis aliquot veterum temporum monumentis, quæ nondum in lucem prodierant, & inter alia, quod ad vestram Germaniam spectat, alligatione, ut tum vocabant, sive oratione Bonifacii VIII. pro confirmando Rege Romanorum Alberto, quæ extat in veteri Codice Bibliothecæ Colbertinæ. Cum vero liber quintus, in quo agitur de dignitate & auctoritate Legatorum sedis apostolicæ, imperfectus esset, illum supplevi, additis nimirum integris quadraginta capitibus. Quo loco vides, eruditissime Vir, incidisse me necessario in vexatissimam controversiam de Vicariatu Episcoporum Thessalonicensium per Illyricum, necessumque etiam præterea fuisse, ut excuterem Vicariatum Episcoporum Arelatensium per Gallias & septem provincias. De sequentium seculorum malis exemplis, quæ à Baronio ipso & aliis nostrarum partium scriptoribus damnantur, de rapacitate nimirum & ambitione factuque Legatorum posteriorum temporum, admodum multa dixi, sed necessitate potius suscepti argumenti quàm libidine detrahendi, tantùm ne viderer deseruisse vadimonium. In fine verò libri septimi, in quo agitur de judiciis canonicis Episcoporum, addidi ex meo nonnullas observationes circa depositionem Arnulphi Archiepiscopi Remensis; quam nonnulli tum putabant nullam esse ipso jure, quia facta fuerat, ut ajebant, præter Romani Pontificis auctoritatem. Redeo nunc ad Concilium Remense, illud nimirum in quo illa Arnulphi dejectio decreta est; cujus variantes lectiones cum tu ipse adnotaveris, tum manu propria descripseris ex veteri codice Academiæ Juliæ, duplicatum beneficium tribuisti. Prima illius editio debetur Matthiæ Flacio Illyrico, secunda Jacobo Bongarsio, uti tu quoque scribis,

ſcribis, id quod apud nos eſt conſtantiſſimum. Editionem Duchesnii, utpote mutilam, ſuperioribus duabus annumerandam non eſſe tecum omninò ſentio. Vir ille doctus ſatis ſe conſilio ſuo facere exiſtimavit, ſi ea tantum excerperet quæ ad hiſtoriam pertinebant. Mihi animus eſt Synodum illam rurſum edere integram, & emendatiſſimam, quantum fieri poterit. Adjungam autem epiſtolas Gerberti ad Wilderodum & Siguinum, tum etiam orationem ejus in Concilio Moſomenſi habitam, quam compertum habebam editam fuiſſe á Centuriatoribus. Multam profectò voluptatem percepi cum ad eam literarum tuarum partem ventum eſt, in qua me admones extare in codice MS. Academiæ Juliæ caput LVI. ejusmodi Synodi, quod deeſt in editionibus, illo autem contineri canones Africanos qui de judicandis intra provinciam Epiſcopis decreverunt. Nam canones Africani per diu viguere ac vim legum obtinuere in Gallia, nimirum, opinor, usque ad tempora Gerberti. Nam quis illos poſthac laudare auſus eſſet, quando pro ſanctiſſimis legibus irrepſit acre Legatorum imperium & ſæva libido dominandi? Itaque omiſſa vetere diſciplina, & exuta priſcorum canonum, tanquam obſoletorum, reverentia, ſola deinde per multum ævi valuit inter nos auctoritas epiſtolarum pontificiarum quæ editæ ſunt in collectione Iſidori, præcipuè verò poſtquam Decretum Gratiani, quod ex iſtiusmodi decretis ut plurimum conſtat, publicæ legis vim roburque obtinuit in Occidente. Sola, inquam. Nam quis tum meminiſſe poterat veterum regularum in tanta antiquitatis oblivione, quæ omnium mentes excœcaverat per eas tempeſtates? Acceſſit poſtea immenſa illa decretalium epiſtolarum farrago, quæ poſt Nicolaum & Alexandrum ſecundum emerſit. Sunt ſane multa in his decretalibus, quæ ſi fuiſſent bono ſeculo nata, poterant & ipſa inter bonas merces numerari. Omnino

enim qui illas condidere, magni utplurimum Viri fuerunt. Quis enim Innocentio tertio, ut istum exempli causa sumamus, doctior unquam fuit inter eos qui Romanam cathedram tenuerunt? Occasio postulat ut, quoniam Innocentii III. mentionem feci, tecum, Vir clarissime, communicem consilium & institutum meum. Instituì itaque nova editione donare epistolas ejusdem Pontificis, additis interim ad sex libros jam editos aliis quatuor qui nondum emissi sunt in lucem; quorum tres ultimos mihi ex veteri codice MS. suæ Bibliothecæ suppeditavit Vir illustrissimus & eruditissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Mompelienſis. Addam huic editioni novam collectionem Decretalium ejusdem Pontificis, hactenus ineditam, ex regestis trium priorum annorum pontificatus Innocentii confectam à Raynero monacho Pomposiano, agente tum Innocentio quartum pontificatus annum. Et quia Gesta Innocentii, quæ cum quatuor ultimis libris epistolarum ejus edita jamdiu fuerunt ab illustrissimo Episcopo, quem paulò ante nominavi, nævis ac mendis scatent ultra quam dici potest, dabo rursum illa emendatissima ope duorum veterum codicum manuscriptorum, quorum unus extat in bibliotheca Regia, alter in bibliotheca illustrissimi Viri Caroli Mauritii Tellierii Archiepiscopi Nazianzeni & Coadjutoris Remensis. Hæc tecum, Vir clarissime, de editione illa, cujus magna pars jam confecta est. Puto Synodum Romanam à Joanne XII. contra Leonem IIX habitam bona fide editam fuisse. Si quid tamen in codice MS. repereris diversum ab editione & ad me miseris, erit unde in nova mea Conciliorum collectione testatum publicè non semel faciam amorem & affectum erga me tuum. Ebbonis Archiepiscopi Remensis Apologeticum ex codice MS. Eminentissimi Cardinalis Barberini edidit Dominus Lucas Dacherius monachus Benedictinus in tomo septimo Spicilegii veterum Scriptorum, sed aliquot in locis mutilum, ac valdè depravatum.

Quare

Quare magnam à me gratiam inibis, si variantes lectiones ad me miseris. Si tomum illum apud vos non habetis, aliquam Apologetici illius partem reperies in tomo secundo Duchesnii pag. 342. linea 15 usque ad lineam 33. & pag. 341 linea 22 usq; ad lineam 32. Peto autem à te, optime Conringi, ut ad me mittas epistolam Papæ Paschalis de legatione Ebbonis ad septentrionalia regna, quam extare ais in eodem codice Academiæ Juliæ, in quo descriptum est Concilium Remense adversus Arnulphum.

Causa Ebbonis me admonet, ut adhuc opem tuam postulem, & in re quidem gravissimi momenti. Depositionis ejus meminit Rhabanus Archiepiscopus Moguntinus in epistola ad Heribaldum Episcopum Autisiodorensem: quæ, quia continet responsa Rhabani ad varias interrogationes Heribaldi, præcipuè circa pœnitentiam, sub titulo Pœnitentialis Rhabani edita est à Stevartio in tomo singulari insignium auctorum. In capite XXXIII. illius epistolæ suæ Pœnitentialis agitur de eucharistia. Nam Heribaldus consuluerat Rhabanum, ut ex eo sciret utrum eucharistia, postquam consumitur, & in secessum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam pristinam quam habuerat, ante quam in altari consecraretur. In responsione autem Rhabani, prout edita est, quædam leguntur, quæ videntur non esse Rhabani. Itaque si vetustum exemplar istius epistolæ suæ Pœnitentialis extaret apud vos, operæ pretium esset ad me quamprimum mitti varias lectiones præfationis saltem & duorum ultimorum capitum. Felices autem essemus omnes, si eodem tempore ad me mitteres epistolam Rhabani ad Eigilem Abbatem Prumiensem; de qua mentionem facit ipse Rhabanus in capite XXXIII epistolæ ad Heribaldum, tum etiam vetus auctor anonymus, qui tractatum de eucharistia edidit per illa tempora, quem verò publici juris fecit R. P. Cellotius in appendice historiæ Gottschalci.

Nam epistolam illam ad Eigilem, tametsi diu quæsitam, nondum vidimus.

Satis longam esse epistolam video. Sed tamen antequam manum de tabula tollam, paucis tecum agam de collectione Reginonis, cujus novæ editioni nunc incumbunt operæ typographicæ. Persuasum mihi omnino est Burchardum magnam partem suæ collectionis, & id quidem quod pulchrius ac nobilius est, accepisse ex Reginone, ut ostendam in mea præfatione. Adnotavi autem in margine numeros librorum & capitum Burchardi in quibus extant canones & alia decreta collecta à Reginone. Adnotavi præterea, quantum fieri potuit, ex quo quæq; Concilio & capitulari sumpta sunt. Tum aliquot in locis observationes meas affero, seu potius varias lectiones indico, ex vetustissimis libris Capitularium. Quod totum de industria suscepi faciendum, ut post editionem istam Reginonis nihil reliquum sit posteriori diligentiæ. Animus est addere in calce epistolam Rhabani ad Heribaldum, cujus varia fragmenta diversis in locis adfert Regino, ut in eodem volumine lector eruditus habeat simul cum fragmentis epistolam integram. Spero editionem illam absolutum iri ante initium anni sequentis. Pollicitus sum amplissimo Viro Joachimo Hildebrando missurum me ad eum exemplar unum illius editionis, si modo mihi personam indicaverit, cui committi tuto possit. Simul autem mittere curabo aliud exemplar pro te, Vir eruditissime, velut pignus meæ adversus te reverentiæ.

Habes, Vir optime & eruditissime, longissimam epistolam, nec insuavem tamen, opinor, nec insicetam, cum tractet de rebus literariis & ad Dei religionem pertinentibus. Vides autem quàm familiariter intraverim in tuam familiaritatem, quàm liberè utar bonitate ac humanitate tua. Tu vicissim, si me amas, utere opera mea. Nihil enim erit quod in tui gratiam

tiam facere recuſem. Nam illud tibi ſæpè dicendum eſt, Conringi Vir eruditiſſime, valdè cupere me ut certus eſſe poſſis de cultu erga te meo. Velim etiam ut, ſicubi ſe occaſio obtulerit, meo nomine ſalutes clariſſimum Hildebrandum, ſimulque illum admoneas, exſpectare me ab eo varias lectiones ex codicibus Moguntino & Viennenſi, quas edidit poſt Reginonem emiſſum. Vale, Vir doctiſſime, rem literariam ornare perge, & me ſemper ama tui nominis ſtudioſiſſimum. Lutetiæ Pariſiorum VI. Idus Octobris MDCLXX.

IV.

STEPHANO BALUZIO

S. P. D.

LIteræ Tuæ, clariſſime Baluzi, benevolentiæ atque multæ eruditionis nomine, quarum ſunt pleniſſimæ, ſupra quam dici poteſt, me exhilararunt. Serius tamen reſpondeo, quod in aulam ad conſilium evocatum me iri conſcius, ibi Auguſtam Bibliothecam, integro libro mihi laudatam, ac proinde nec Tibi fortè ignotam, ſuper deſideratis manuſcriptis, priusquam reſponderem, conſulere, operæ pretium duxi. Et verò factum illud eſt abs me cum cura, ſed hebdomade demum præcedente & exſpectatione falſus. Interea verò & Hildebrandum compellavi, aliumque amicum ſuper variis lectionibus operis Reginonii. Quas cum impetraverim die heſterno, ſtatim mitto; quo anticipent fortaſſis manum ultimam novæ Tuæ editionis. Quam ipſe etiam velim emendatiſſimam eſſe, quia noſtra juſto negligentius à typographo habita, & tamẽ liber iſte eſt præclarus, & magnæ olim auctoritatis. Deſidero ſanè annotata Tua in opus utiliſſimum, etſi à cleri hodiernis moribus toto diſſideat cœlo. Rhabani ad Heribaldum

baldum epistolam quod addere institueris, gaudeo. Quæsivi etiam illius manuscriptum & in Augusta & in nostra bibliotheca : sed fui frustra. Perinde ac Epistola ad Eigilem, (qui videtur esse non Prumiensis, sed Fuldensis aliquis Abbas, & quidem is, cui proximè Rhabanus succesit) non comparuit. Stevartianæ editionis cap. XXXIII. indubiè mendosum est : bona tamen parte videtur esse à manu Rhabani. Non à Stevartio autem primò Pœnitentialis nomen illi est Epistolæ inditum : sed ipse etiam Anton. Augustinus in notis illius Pœnitentialis, quod Rhabanus Otgario Archiepiscopo inscripsit, videtur non distinxisse à Pœnitentiali. Ubi otium fuerit inspicere illas eruditissimas notas, dabitur fortè occasio ex Ivone & Gratiano nonnulla Epistolæ loca emendandi. Nec enim dubito ad manum esse Canones pœnitentiales cum A. Aug. notis Venetiis A. 1584. editos.

Ebbonis (ita enim rectius abs Te etiam appellatur, quàm Ebonis ut vulgo audit : quod nomen hodieque Frisiis meis, ut alia veterum Germanorum nomina, per est familiare) apologeticus, cum Paschalis Papæ epistola, hoc ipso anno apud nos ex MS. Academico me hortante additus est novæ editioni Historiæ Adami Bremensis. Mittam proximo vere librum integrum. Quin addam tum & mea nonnulla, quorum partem jam pridem Illustris noster Capellanus possidet : si quid eorum lectione non indignum judicaveris. Et verò ipse etiam desidero censuram Tuam, saltem super iis, quæ libro de Origine Juris Germanici c. 14. 15. 16. differui, de Civili & Ecclesiastico Jure, quale illud fuit Carolo M. & Ludovico Pio imperantibus. Poterunt autem sine sumptu & tutò ad Te omnia deferri, si Illustrissimus Colbertus curandi per mare negotium, Regio illi,

quem

quem vocant Agenti & Factori qui Hamburgi est, demandaverit. Imò possit ille & literas nostras quàm optimè curare, si fuerit jussus.

Romanam illam à Joanne XII. contra Leonem IIX. habitam Synodum conferam cum MSS. nostro. Utinam autem possem & qua alia parte Tuam Conciliorum collectionem adjuvare! Sed quantum hactenus quidem novi, apud nos ejus nihil est. Nisi fortè nondum edita sit Epistola Ludovici Pii ad Episcopum Salisburgensem, qua simul Aquisgranenses Canones pridem vulgatos transmisit. Hæc enim unà cum illius Synodi Canonibus in bibliotheca nostra latet MSS. Ipsi Aquisgranenses, ut & Moguntini ejusdem ævi Canones magnâ copiâ etiam apud vos supersunt. Nec vobis possunt deesse Basileensis Concilii acta omnia: quorum nonnulla habemus MSS. In illa Decretalium sequioris ævi immensa farragine, nonnullas reperiri meliori dignas seculo, & ipse omninò agnosco, ut &, inter eos, qui Romanam cathedram tenuerunt, Innocentium III. fuisse tum doctissimum. Non ausim tamen dicere, Decretalium conditores ut plurimùm fuisse *viros magnos*: si quidem eruditionem spectes, non dignitatem. Institutum Tuum de nova eaque auctiore editione Epistolarum Innocentii III. perplacet: nec enim mihi hactenus visi sunt, nisi libri duo, typis quidem excusi. Visæ autem sunt & aliæ quam multæ ejusdem Innocentii ex Vaticano Codice descriptæ ab Illustrissimo Principe & Episcopo Paderbornensi, melioris omnis literaturæ peritiâ hodie illius ordinis longè maximo. Ex quo libro multa didici historiam rerum Imperii illustrantia: sed pridem desiit in usu meo esse. Fuêre autem res Germanicæ, quod novisti, tum perturbatissimæ, Principum de Imperiali dignitate funestis disidiis, ab Innocen-

tio excitatis partim, certè fotis. Usus illo Vaticano Codice videtur in Annalibus suis concinnandis Odoricus Rinaldus, Epistolis aliquot Pontificiis inde promptis. Memini me hujus Innocentii Epistolas aliquot legere in Codice MSS. nostræ Bibliothecæ Juliæ. Sed illæ fortasis jam tum in lucem prodierunt Illustrisimi Busqueti cura (nec enim editionem ejus vidi) aut certè Tuos inter quatuor libros reperiuntur. Avidè sanè desidero novam Tuam editionem, saltim ad exactiorem parandam rerum Imperii notitiam: quanquam & alia quam multa hinc peti poterunt sacræ monarchiæ monumenta.

Quod Gerberti Synodo Remensi addere velis Epistolas ejusdem ad Wilderodum & Siguinum, ut & orationem in Concilio Mosomensi habitam, perplacet. Mirum verò ni exstet utraque illa Epistola in Codice MSS. Massoniano, unde reliquarum Epistolarum volumen Parisiis prodiit. Videntur sanè rejectæ omnes, Remense illud negotium Romanæ curiæ invisum spectantes Epistolæ, ab editore, offensæ metu: Et non nisi per imprudentiam est adjecta iis Ottonis III. Imperatoris, Sylvestro facta donatio, quæ usq; adeo pupugit Baronium, & quam ipsimet Sylvestro, æquisimo Papalium rerum censori, tribuere equidem non dubito. Cum illa verò, quæ dixi, adjecturus sis, non possum non sperare additum iri quod hactenus Synodo ad integritatem defuit cap LVI. quum & postulet idipsum libri argumentum, & citra justam Curiæ indignationem possit adjici, utpotè cum sit depromptum ex ipsomet Codice Canonum Romano, tot seculis olim recepti usus, & ab ipsismet Pontificibus Gallicanæ Ecclesiæ commendato, donec Pseudo-Isidoriana commenta præplacere cœperunt. Optimè verò judicas & candidè, circa illa Gerberti tempora, præ-

Digitized by Google

prævalentibus ſenſim aliis Pſeudo-Iſidorianis, exſpiraſſe ſanctiſſimæ Eccleſiæ Leges veteres, proque illis acre Legatorum imperium & ſævam dominandi libidinem irrepſiſſe. Et verò ipſa memoria Codicis illius Canonum ſecutis ſeculis periiſſe videtur. Nec enim repertus temerè, qui ejus meminerit: & tandem non niſi rariſſima exempla ſuperfuerunt. Et vero illi qui Gregorii XV curâ Corpus Canonicum recenſuerunt, non niſi tria illius veteris Canonum Codicis Exempla in Bibliotheca Vaticana ſibi reperta tradiderunt, viri utique diligentiſſimi pariter & doctiſſimi. Is etiam qui Moguntiæ anno ſeculi ſuperioris vigeſimo quinto Codicem illum primus edidit, quid ederet neſcivit, & non niſi tribus MSS. ſummâ curâ conquiſitis uſus eſt. Vix totidem vidit in Gallia veſtra Juſtellus. Non mirum verò, excuſſum tandem manibus illum Codicem, ejusque omnem autoritatem abolitam, cum illimitatæ Monarchiæ ſtudium, quod ad ſummum faſtigium eſt ab Hildebrando evectum, non poſſit ferre veterum Canonum cancellos, aut hactenus recepta legum jura: quorum utraque usque adeò à Monarchicis Curiæ inſtitutis diſident, ut, me quidem judice nulla poſſit ſacerdotii illius & Imperii concordia unquam vel exſpectari. Miror autem quàm maximè ſingularem providentiam divinam, quæ fecerit in ipſum Romanum Codicem Canonum recipi per Dionyſium Africana, illa etiam, quæ improbos Zoſimi jam & ſucceſſorum conatus apertè prodiderunt pariter & refrenarunt. Absq; ſanè illâ Dionyſii curâ fuiſſet, nec vola ejus rei amplius nec veſtigium fortè ſupereſſet: perinde ac reliqua perierunt monumenta plerorumque alibi improbè item dominandi gratiâ actorum Romanæ ſedis; vel certè ne in lucem prodeant prohibentur à ſuperſtitioſis Curiæ cultoribus.

Digitized by Google

Ea res cum gaudio me revocat ad initium Epistolæ Tuæ, ordine retrogrado. Mirificè enim me affecêre quæ scribis de contemptâ illâ Romæ adversum Te excitata tempestate & faventibus bonis omnibus Marcani operis non tantum nova editione, sed ejusdem etiam ab eruditissimo & candidissimo ingenio Tuo factis augmentis. Qui enim non complectar fortem adeo animum & studiosum veri rectique? Facit verò perspecta eruditio Tua, ut propè ardeam desiderio illius tertiatæ editionis, cumprimis autem Tuorum augmentorum. Nec enim dubito, responsura exspectationi etiam illa, ut Tua, quæ hactenus vidi, cætera. Occasionem Vicariatui Thessalonicensi hactenus credidi equidem datam, partim à Sardicensis Concilii duobus istis notis Canonibus, partim quod non tantum Occidentalis Imperii sex diœcesibus omnibus, sed etiam Orientalis duabus illis Macedoniæ & Daciæ, nullum Patriarcham, seu secundum, seu quartum Oecumenicum Concilium (in quibus primò omnium de Patriarchis aliquid est constitutum) dederit, quo Romana ambitio potuerit coërceri; Sardicensium Canonum improbo prætextu, jam tum olim Episcopalium controversiarum judicium primùm per Legatos, deinde per Vicarios sibi vindicans: cumprimis ex quo primatum suum Juri divino non dubitavit tribuere, quod, nisi fallor, primùm cœpit circa initia seculi quinti Christiani, Sardicensibus Canonibus nihil tale agnoscentibus. Hæc equidem credidi hactenus: sed jam Te audire vehementer desidero: eoque proximo vere σὺν θεῷ novam illam Tuam editionem adferri curabo. Legam tunc & Bonifacii quam memoras Epistolam: superbam indubiè & iniquam si non regno vestro saltim dignitati Imperii: ut tantum non omnia fuere Paparum à Gregorii Septimi ævo.

Si

Si non obruerer negotiis, posſem facilè juſtum volumen dare ex MSS. talium bullarum & brevium. Nunc hoc agere vetant infinitæ aliæ occupationes. Sed pecco in tempora etiam Tua, Clariſsime Baluzi, melioribus dicata & impendenda, iſta hac prolixitate mea. Agnoſco culpam & deprecor. Veniam tamen, ſpero, peccanti dabis, quia detinuit me & priſtinus harum literarum amor, & Tui ſtudium juvandi: imo & ille erga me Tuus animus amicus planè, qualemque nec merui, nec exſpectavi. Hunc uti porrò mihi ſerves, etiam atque etiam rogo. Habebis vicissim ad omnia amicitiæ officia & prompta obſequia

Helmeſtadii in Acad. Julia 19 Nov. ipſo natali die ſexageſimo quinto Anno 1670.

ætatem omnem paratisſimum

T.

Hermannum Conringium.

P. S. Qui haſce adfert juvenis, & genere apud nos natus eſt bono, ac inſigni eſt, cum virtute, tum eruditione. Eoque rem & Te dignam, & mihi perquàm gratam præſtiteris, ſi quid illi benignè feceris. Poterimus illo, quamdiu Pariſiis vixerit, fido uti internuncio & commodo. Illuſtrisſimo Colberto & publici & mei quoque privatim boni cauſſâ vitam longam & firmam precor valetudinem. Illi me & mea ſtudia quæſo commendes.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Jam clauſeram, cum ex clauſtris Bibliothecæ Academicæ adferuntur Rabani MSS. duo: alterum eſt Pœnitentiale illud Othgario Moguntino inſcriptum, alterum audit ſumma doctrinæ Chriſtianæ. Prius idem eſt cum eo quod publicavit A. Auguſtinus: Poſterius num ſit Rabani dubi-

Digitized by Google

to, quia titulus est â manu recente, & habentur ipso libello quæ non sapiunt Rabani ævum. Maluissem videre Epistolas ad Eigilem & Heribaldum, quas quæsieram.

V.

Clarissimo & eruditissimo Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS
Tutelensis
S. P. D

LOngissimas ad te nuper literas dedi VI Idus Octobris, ad quas cum responsum non sit à te Viro humanissimo, par est existimare illas tibi redditas non fuisse. Earum ergo exemplum ad te mitto.

Absoluta tandem Reginonis editione, nihil mihi jucundius accidere posset quàm si se aliqua favorabilis occasio daret ad te mittendi unum ejus operis exemplar. Spero autem repertum iri posthac. Interim ad Te, Vir eruditissime, mitto præfationem meam, ut ex ea intelligas quid præstitum à me sit in hac editione. Simul videbis redditam aliquam gratiam tuæ in me benevolentiæ, & datam in publicum meæ adversum te reverentiæ testificationem. Quod ita interpreteris velim, ut existimes omnino dictum ex animo esse. Plurimi enim facio ingentes virtutes tuas.

Pollicitus in hac præfatione sum novam Capitularium Regum nostrorum editionem emendatam ad vetustissima exemplaria, quorum aliqua laudo inter Notas. Si quid habes nondum vulgatum, quod huic collectioni addi debeat, possem id ad te petere meo jure, ut tuis verbis utar. Attamen illud, qualecunque erit, debere malo tuæ humanitati, quàm juri meo, quod alioqui ex eadem humanitate tua profectum est.

Præ-

Digitized by Google

Præterea si veteres Capitularium libros manu scriptos habetis, operæ pretium erit variantes lectiones ad me mitti. ut etiam Germania vestra suam opem conferat ad donandas meliore luce vetustas Francorum ac Germanorum leges. Verum quoniam istud plurimi tædii negotium est, nolim ut illud in te suscipias, Vir clarissime, sed eam curam derives in aliquem juvenem istarum rerum studiosum. Literas ad amplissimum Virum Joachimum Hildebrandum scripsi VI Kalend. Octobris. Nescio autem an ad illum pervenerint. Multam illi salutem ex me dicito, & simul vadem te ei pro me præsta missurum me ad eum exemplar Reginonis quod pollicitus illi sum. Vale, Vir Clarissime & eruditissime, & semper memineris studii erga te mei. Lutetiæ Parisiorum XI Kalendarum Martii M DC LXXI.

VI.

STEPHANO BALUZIO

Tutelensi,

Viro clarissimo & eruditissimo

S. P. D.

QUum hodie traderentur, quas XI Kal. Mart. Lutetiæ exarasti, Clarissime, eruditissimeque Baluzi, nescio equidem dolore magis an lætitiâ affectus sim. Magno scilicet dolori fuit, non redditum Tibi responsum meum, ad eas quas VI. Id. Octobris dedisti. Et verò longè prolixiores quàm fuerant illæ Tuæ, reddidi statim 19 Novembr. de omni Tuarum argumento differens. Imò misi, factâ à doctissimo amico diligente collatione MSS. nostri Reginonii Codicis cum Hildebrandina editione, quod hæc Typographicis operis justo negligentius

Digitized by Google

us fuerit curata, numerosas varias lectiones. Sperans has in tempore adventuras, priusquam ultimam manum Tuæ editioni adhiberes, quod ante Calend. Januarias futurum credidi. Illa mea cum accepisset curanda Vir Amplisimus, mihique amicus, qui filio suo per illa aditum ad gratiam Tuam parari voluit, mihique significari jussisset, jam tum XXVI Decembr. Lutetiam omnia salva advenisse: equidem vixi ex illo securus, tantùm Juvenis illius Lutetiæ degentis Epistolam unicè exspectans, tuæ longius indulgens tempus. Usque adeò igitur jam frustratus, plurimum sanè turbato sum animo. Nec tamen meas iterum descriptas, ut nec Reginonias varias adhuc denuò mitto: quoniam spero nihil meorum periisse, sed hærere alicubi: brevi autem fore, uti rectè tradantur. Quod uti fiat quantocius, filii illius, quem dixi, Patrem urgebo. Ut hactenus autem dolorem mihi pepererunt literæ Tuæ, ita, Clarisime Baluzi, eædem grandi mihi sunt gaudio, luculentisimo non uno benevolentiæ testimonio. Præsertim, quod advenerint in comitatu priorum humanisimi adfectus & eruditionis pleniimarum, simulque præfationis in Novam Tuam Reginonis editionem; quam immerita mei laudatione utinam tamen non maculasses! Enimverò non in levi felicitatis parte colloco, Tibi Viro Eruditisimo placere: probe tamen tenuitatis meæ mihi conscius, scio illud, quo me affeciisti, præconium non temere inventurum fidem. Quæ cætera præfatus es, illa verò ut sunt erudita, ita multum me delectant, & Reginonem ipsum, Tuasque notas faciunt me desiderare.

Capitularium Regiorum novam editionem qua parte potero, libentisime adjuvabo. Apud nos tamen collectio illorum, quam vel Ansegisus vel Benedictus instituit, MSS. exem-

Digitized by Google

exemplar nullum reperitur. Utrum in Bibliotheca Augusta Principis superfit, inquiram. Unum & alterum Capitulare cum Caroli M. tum Ludovici Pii habemus MS. Nihil tamen ineditum. Quod si, quæ de his Capitularibus aliisque Ecclesiasticis Legibus magnorum illorum non minus nostræ Germaniæ, quàm Italiæ & Galliæ vestræ Regum libro de Origine Juris Germanici c. 14. 15. 16. aliisque disserui, tibi ad manum fuerint (nisi fallor autem misi ea Capellano nostro) quid abs me fieri in usum tuum debeat, rectius indicabis. Addidi autem illi libro & Capitulare Caroli M. de Ecclesiasticis Saxoniæ rebus: quale illud accepi à literatissimo Germaniæ nostræ Episcopo ac Principe Paderbornense, ex vaticano Palatinæ Bibliothecæ codice suâ & Holstenii curâ editum Romæ. Quod omnino meretur reliquis Magni illius Regis Capitularibus adjungi. Mittam verò ejus Capitularis & Romanum exemplum, si eo careas. Imò mittam, quocunque potero editionem illam tuam exornare: Tu modo audacter jube, quid abs me effectum velis. Hildebrando num quid Tuarum sit redditum, præter unam Epistolam, nescio. Salutem, quam nunciari jussisti, erit illi (scio) longè gratissima. Vale autem, & salve etiam Tu, doctissime Baluzi, pergeque benè velle

Helmestadii 12 Martii 1671.

Tui studiosissimo Cultori

Hermanno Conringio.

Illustrissimi Colberti gratiam perpetuare mihi ne graveris, etiam atque etiam rogo.

VII.

Clarisſimo & eruditisſimo Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS

Tutelenſis

S. P. D.

POſtremas tuas literas datas Helmeſtadii die 12 menſis Martii accepi XIX Kalend. Junii, plenas humanitatis, ut ſunt tuæ omnes; quibus ante quàm reſpondeam, illud inprimis admonebo te, Vir clarisſime, miſiſſe me nuper ad te tum Reginonem, tum etiam reliquos libros à me editos, qui Hamburgo Helmeſtadium ad te deferentur meo nomine.

De Capitularibus gratias ago, ut debeo, quod polliceris te in bibliotheca Serenisſimi Principis tui quæſiturum vetera illorum exemplaria. Duo illa quæ habes Caroli Magni & Ludovici Pii, ſi edita non ſunt ſeparatim à libris ſeptem Capitularium, valde velim ut ad me mittas, præſertim ſi annotatum eſt illic tempus, quo condita ſunt. At ſi jam vulgata ſunt in tomo ſecundo Conciliorum Sirmondi, qui plurima eorundem Principum Capitula dedit integra, ſatis erit ſi variantes lectiones ad me mitti curaveris. Nam præter ſeptem libros Capitularium, decrevi in unum volumen congerere quotquot Capitula Regum ſtirpis Carolinæ nanciſci potero. Vidi & cum ſumma voluptate perlegi quæ ſcripta à te pridem ſunt de hoc argumento in libro de Origine Juris Germanici; iisque utar cum ſerio me accingam ad editionem Capitularium. In illo tamen libro tuo non inveni Capitulationem de partibus Saxoniæ, quam habeo ex editione Holſtenii. Vale vir optime & eruditisſime, & me ſemper ama Conringici nominis ſtudioſisſimum. Lutetiæ Pariſiorum XIV Kal. Junii MDCLXXI.

IIX. STE-

Digitized by Google

IIX.

STEPHANO BALUZIO

Viro longè eruditisſimo

HERMANNUS CONRINGIUS

S. P. D.

SImulac quas XI Kalend. Martii exaraſti, in manus pervenerunt, ſtatim reſpondi, meis aulæ noſtræ concreditis: cui perpetuũ eſt cum Agente Pariſienſi commercium, ut proinde non dubitem illas rectè item curatas. Etſi autem Tuæ multum me turbaſſent, eò quod nec tùm accepiſſes faſciculum jam menſe Novembri in commodum Reginoniæ editionis transmiſſum: exhilaravit me tamen non multò poſt Capellanus noſter literis vigeſimo quarto ejusdem exaratis; narrans, & traditum Tibi faſciculum illum ad Te curatum, id quod vigeſimo ſeptimo Martii repetiit. Ex eo accepi etiam, ex juvene, cujus curæ illum commiſeram, quemque Tibi commendaveram, ſummâ ſeſe abs Te humanitate exceptum non ſemel. Illa itaque curâ jam ſolutus, nihil perinde deſidero, quam uti ſignifices, num Reſidenti Regio Hamburgenſi datum ſit negotium, quicquid literarum miſerim Tibi, probè curare. Habeo ſcilicet in tuos uſus parata nonnulla; ſtatim illa Hamburgum miſſurus, ſi Illuſtriſſimi Colberti juſſu via illa altera fuerit conſtituta. Absque hoc ſanè fuerit, non licebit tutò quicquam mittere; adeò ſæpe jam deceptus ſum. Et verò animus eſt impoſterum etiam Bibliothecæ Colbertiánæ conſecrare quicquid edidero: cujusmodi ſunt jam tum illa quæ nudius tertius abſolvi de Re Piſcinaria, quæve

Digitized by Google

mox subsequentur πολιτικώτερα. Vicissim saltim Reginonia tua integra exspecto. Vale Vir summe & perge favere

Helmestadii xi Maji
Ao. 1671.

Cultori tuo

H. Conringio.

IX.

Clarissimo & eruditissimo Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS
Tutelensis
S. P. D.

Literas ad te dedi III Non. præsentis mensis Aprilis, quarum mittendarum curam in se suscepit Arnoldus Engelbrechtus nobilis Germanus, is ipse nimirum quem tu, Vir clarissime, mihi commendaveras, & quo fido internuntio, ut ipsa tua verba ponam, & commodo uti nos posse scripsisti, quamdiu Parisiis esset. Itaque omnino confido fore ut ejus opera postremæ illæ meæ literæ in manus tuas pervenerint. Pollicitus erat idem nobilis effecturum se, ut libri à me editi ad te perferrentur. Verum interim dum tempus illud exspecto, nactus sum oportunissimam occasionem eos mittendi, quam censui non esse prætereundam. Accipies itaque, Vir eruditissime & optime, primùm secundam editionem dissertationum de concordia sacerdotii & imperii, secundam item editionem operum Salviani Massilienſis & Vincentii Lirinensis, opera Servati Lupi Abbatis Ferrarienſis, opera Agobardi & Amulonis Archiepiscoporum Lugdunensium, Cæsarii Arelatensis Episcopi homilias XIV nunc primum à me editas, Concilia Galliæ Narbonensis, denique dissertationes tres illustrissimi Viri Petri de Marca

Archi-

Archiepiſcopi Pariſienſis. Hos libros tibi volens lubensque offero, Vir clariſſime, reponendos in tua bibliotheca, ut, qui ad te accedent, hinc intelligant quæ ſit mea erga te reverentia. Simul autem adjunxi tria exemplaria Reginonis, unum prote, alterum pro Hildebrando, tertium denique pro Madero, quos oro te ut meo nomine plurimum ſalvere jubeas.

De Reginone cum bene multa dixerim in præfatione mea, quæ nuper ad te miſſa eſt, nihil eſt quod nunc tibi reſpondeam, niſi quod ægrè admodum tuli variantes lectiones ex codicibus Helmſtadienſi, Moguntino, & Viennenſi ad me tardè perveniſſe, nimirum poſt abſolutam editionem. Servabo tamen folia illa, uſui futura in altera editione, cum illam parari opus erit. Tum verò & tui in me amoris & diligentiæ Maderi memoria renovabitur cum laude utriusque.

Editio epiſtolarum Innocentii III intermiſſa eſt. Nam Romani ſpem mihi faciunt nonnullorum librorum qui editi hactenus non fuere, qui verò extant in bibliotheca ſedis apoſtolicæ. Simul autem ac eorum exemplum accepero, tum rurſum operæ typographicæ redibunt ad officium ſuum. Si quas ergo Innocentii epiſtolas habes nondum vulgatas, ad me mitte. Erit his quoque ſuus locus. Vale, Vir clariſſime, & me ſemper ama. Lutetiæ Pariſiorum VIII Kal. Majas MDCLXXI.

X.

Illuſtri & Reverendo plur. Domino

STEPHANO BALUZIO

HERMANNUS CONRINGIUS

S. P. D.

QUas VIII. Kalend. Majas exaraſti, jam X. Kal. Jun. rectè ſunt traditæ. Nihil reſpondi tamen, quoniam hactenus in per-

Digitized by Google

in perpetua vixi exſpectatione accipiendi liberaliſſimæ manus tuæ dona, quorum Tuæ ſpem fecerant. Nec enim dubitavi rectè omnia curatum iri: quum literas tuas miſiſſet Regius qui Hamburgi eſt Reſidens, ſeque ſimulac Tua advenerint, protinus facturum officium promiſiſſet. Sentiens verò fruſtrà me eſſe in illa ſpe, interea verò dilatione reſponſi in tuam benevolentiam me peccare, abrumpo ſilentium. Et verò jam tum pertæſum longioris moræ, invitant me ad ſcribendum quas hoc ipſo momento accipio XIV Kal. Junii datæ, plenisſimæ humanitatis, quales Tuæ ſunt omnes. Significo ipitur, intra triduum hinc Hamburgum abs me ad Regium illum Reſidentem miſſum iri arcam libris meis aliquot inſtructam; in Tuum quidem uſum plærisque, nonnullis verò Bibliothecæ Illuſtrisſimi Colberti, paucis & Capellano noſtro & Perraldo & Meneſtrello deſtinatis. Illam ſpero majore diligentia curaturum virum; quoniam inſcribetur arcæ, omnia Illuſtrisſimi Colberti, Bibliothecæ deberi. Vellicabo autem & Tuo nomine Viri aures: additâ itidem Illuſtriſſimi Mœcenatis auctoritate: niſi & Tibimetipſi idem agere placuerit. Urgendum enim eſt illud genus hominum, cœteroquin perquam negligens, ſola Mercurialia ſi excipias.

De Innocentii III Epiſtolarum Vaticano Codice propediem etiam ex me fortasſis accipies certiora. Exſpecto enim de iis reſponſum Illuſtrisſimi Epiſcopi & Principis Paderbornenſis; quem ab noſtræ Clero Germaniæ inuſitatâ eruditione, niſi fallor, jam tum Tibi laudavi, ipſemet verò etiam Tu maximi æſtimabis, lecto ejus Poëmatum libro arcæ cum meis incluſo. Manu ille ſua (ſi rectè memini) codicem illum Vaticanum integrum deſcripſit: eoque tuos in uſus illum petii. Imo impetraturum me confido, niſi ipſe edere maluerit. Non

Non displicuisse quæ de Capitularibus Carolinis libro de Origine Juris Germanici differui, equidem gaudeo. Miror verò, non repertum Tibi, operi illi meo annexum Capitulare Caroli de Rebus Saxonicis: nisi forte non inciderit in manus editio tertia. Hanc autem dabit Tibi arca. Daret eadem & Romanam Capitularis illius editionem, nisi jam tum esset in Tuis manibus, quantum nunc intelligo.

Quæ nostra Academica Bibliotheca continet Capitularia, conferam diligenter cum Sirmondianis. In Augusta Bibliotheca illa quærere, hactenus impedierunt turbæ bellicæ. Quamprimum autem in aulam fuero evocatus, non deero promissis. Juvare enim tuos præclaros conatus mihi est acceptissimum. Deus Te, Vir summe, longum sospitet bono publico, &, si fas est addere, meo.

Helmestadii 19 Augusti 1671. *Tui studiosissimus*

H. Conringius.

Etsi non memineris literarum quas XI Maji dedi, non dubito tamen rectè traditas. Est porrò in vicinia Vir doctissimus in nova ad codices MSS. instituta emendatione operis Fl. Josephi Græco-Latini totus occupatus: jamque ex Cæsarea Bibliotheca & aliunde nactus est manuscripta optima. Quæso significes, num possit Vir Clar. & ex vestris thesauris adjuvari. Quod si denique advenerit patricius quidam Hamburgensis meoq; Te nomine salutaverit, fac, sodes, uti & ille intelligat me frui benevolentia Tua.

XI.

Illustris & perquam Reverende Domine.

HÆc epistola comitabitur arculam comprehendentem libros quosdam meos, quam literis ante hosce dies qua-

Digitized by Google

quatuor exaratis, & jam tum Lutetiam misſis, Hamburgum ad Regium Reſidentem me curaturum promiſi. Ac ſpero quidem maturatum iri hoc omne: quoniam tamen perendinationes mercatorias haud ignoro, toties ſcilicet eas expertus, incertus ſum quandonam tandem & arcula & hæc epiſtola in manus tuas pervenient, etſi non dubitem Reſidentem Regium, ſaltim Illuſtriſſimi Colberti reſpectu, facturum officium, præſertim à me rogatum. Accipe verò libros meos, Clariſſime Baluzi, ea qua me hactenus es proſecutus benevolentia: non ſcilicet eos æſtimans ſuo merito, ſed benigno affectu. Nec enim diffiteor, rudia omnia eſſe, ſive doctrinam videas, ſive typographicas operas, eoque indigna limatiſſimo judicio tuo, ſive conſpectu elegantiis Gallicis aſſveto. Mitto vero non omnia mea, ſed ea duntaxat, quorum exempla conquirere potui, quorum numerus eſt exiguus. Tantum doleo autem, hæc inter deeſſe quæ ſcripſi: De Germanorum Imperio Romano, De Finibus Imperii Germanici, Animadverſiones Politicas ad Machiavelli Principem Illuſtriſſimo Lionnæo conſecratas, De Conſtitutione Epiſcoporum Germaniæ, ut & Caſſandrina ac Wiceliana mea de Pace Eccleſiæ: non quod jactura eorum momenti ſit ullius, ſed quia in hiſce omnibus abs Te optem erudiri.

Eorum porrò quæ accipies, utinam ſaltim plæraque non omninò diſpliceant! Nec verò vel ſperaverim, omnia ut placeant. Agnoſco ſcilicet, eſſe in iis quæ à ſacris tuis ſententiis haud parum diſſident, ac proinde nec poſſis non improbare. Verumtamen ſpero, non minus benignè Te judicaturum de meis ſi qui fuerint erroribus, atque de Gothis Arianâ labe infectis olim veſter Salvianus cenſuit: *errare* nimirum *me* quidem, *ſed bono animo errare*, & ſi hæreticus

reticus ſim *non tamen ſcientem eſſe talem.* Enimverò ſanctè tibi teſtor me ſacræ doctrinæ operam plurimam impendiſſe, nulla lucri, nulla honorum exſpectatione, ſed tranquillandæ duntaxat tot inter religioſa noſtri temporis diſſidia conſcientiæ, & æternæ ſalutis cauſa; omnique partium ſepoſito ſtudio, id unicè ſectatum eſſe, *quod ubique quod ſemper quod ab omnibus creditum*, adeoque ex Vincentii etiam veſtri ſententia verè demum eſt καθολικὸν: adhibita primò quidem *divinæ legis auctoritate, tum deinde Catholicæ Eccleſiæ*, aurei cumprimis ſeculi, *traditione*, itidem ex veſtri Vincentii conſilio: *ſectatumque* proinde *pacem, cum omnibus iis qui Dominum invocant ex puro corde*, procul omni in diſſidentes aut ſegreges ſævitiâ. Si nec ita ab erroribus mihi cavi, ut veniam tamen omnibus dedi, ita ab iisdem exſpecto, vel ſaltim *ab indulgentia Domini.* Quin Tu ceſpitanti velis ignoſcere, & ſalutem meam precibus Deo commendare, non equidem dubito: idem caritatis Chriſtianæ officium à me certò vicisſim poteris tibi promittere. Quæ Illuſtriſſimi Colberti Bibliothecæ, aut Cappellano noſtro, Meneſtrello & Perraldo conſecravi, illa ſuo loco tradi, ne graveris, quæſo, curare. Illa inter obſervabis & Poëmatum libellum Epiſcopi noſtri Paderbornenſis: quem unicum habet hodie Germania in ſacro illo ordine literarum non perfunctoriè peritum, & hoc nomine jam tum non ſemel tibi laudavi. Habeo jam nonnulla ſub prælo: & ſi otium vitamque Deus conceſſerit, alia propediem ſequentur. Quæ omnia mittam, ſi hæc intellexero haud fuiſſe ingrata. Ubi Tua advenerint, habebunt illa me diligentiſſimum lectorem. Vale Vir ſumme & perge favere

Helmſtadii 24 Aug. 1671. *Tuo obſequentiſſimo clienti*

Hermanno Conringio.

Digitized by Google

P. S. Jam clausa erat arcula mea, & scripta hæc Epistola, cum pridem desideratus advenit fasciculus tuus librarius. Nondum licuit quidem illum excutere ; jam tum tamen plurimùm thesaurus ille me exhilarat : & ingentes tibi jubet gratias agere. Simul licuerit, nihil mihi prius erit omnium lectione. Quod si imago tua ære fuerit expressa, ejus fac me quæso participem per illum quem novissime tibi commendavi, quo & illa justum locum inveniat in opere Illustrium doctrina imaginum quod colligere soleo. Illustrissimi Archiepiscopi de Marca imaginem petere non audeo.

XII.

Clarissimo & eruditissimo Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS

Tutelensis

S. P. D.

PRo tribus ultimis epistolis tuis unicam accipies, Vir optime & eruditissime, ea nimirum de causa quod duæ posteriores ad me eodem fermè tempore pervenerint, superior non ita multò ante. Ago atque habeo tibi gratias pro eximio illo amore quo me pro tua humanitate honestas ; faxoque ut intelligas, cum se occasio dederit, quantum pectori meo insederit sensus istius tuæ in me benevolentiæ, quantumve cupio ut omnino persvasum habeas me totum tibi ex animo addictum esse. Interea accipe hanc grati animi testificationem, & simul patere ut tecum pro amicitia nostra expostulem de injuria à te mihi facta. Vocas me identidem Virum summum. Scio, mi Conringi, id profectum esse ex summo tuo erga me amore ; eoque nomine gratias ago.

ago. Attamen si me benè nosses, laudares quidem hominem bonarum literarum studiosum; sed tamen agnosceres me tantum abesse ab eo loco in quo constituti homines dici possunt summi, ut etiam vix merear consistere in imis subselliis, adeoque abstineres ab epitheto illo quod verecundiam meam onerat. Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quicquam dulce meum, relinque obsecro, externa illa & ambitiosa vocabula, meque tuum appella. Erit istud suavius quam si me sexcenties virum summum vocaris, cum alioqui invidiosum vocabulum sit in homine meæ ætatis, & eruditionis perquam exiguæ. Amemus, mi Conringi, sed simpliciter amemus. Honore invicem præveniamus, sed quemadmodum Apostolus jubet, in caritate non ficta, hoc est, non fucata lenociniis verborum. Scio te amare sine fuco ac fallaciis, more majorum. Sed tamen magna illa epitheta habent aliquid ex adulatione ultimorum temporum. Hæc apud te liberè, ut apud hominem quem & plurimi facio & mirificè colo ac diligo. Nunc ad alia. Deosculor ex animo Christianum illud tuum pectus, cum video te ità rerum sacrarum & ecclesiasticarum studiis temet impendisse, ut non aliqua lucri cupiditate, nulla bonorum expectatione hoc faceres, tantum ut noscere posses, quid inter tot bella de rebus ad religionem Dei pertinentibus statuendum esset. Si isto animo ad idem negotium accessissent quicunque de controversiis fidei catholicæ disputarunt, fortasis Ecclesia pacem haberet, fortasis unum esset ovile & unus pastor. Sed plærique quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Hinc tot dissidia, tot bella, quæ per universum orbem Christianum grassantur. Faxit Deus ut tota illa tempestas brevi conquiescat. Nos interim, mi Conringi, qui unum ducem habemus Christum, illi soli placere studeamus, ejus imperata faciamus; ut vinculis demum hujus carnis soluti, ad regnum ejus pervenire mereamur.

Digitized by Google

Gaudeo vehementer in manus tuas tandem perveniſſe faſciculum librorum meorum. Quemadmodum autem non dubito quin ſtatim eos evolveris, ita ſpero in legendo plurima indulgentia uſum eſſe, cum in ea loca incidiſti quæ cenſuræ tuæ obnoxia fuerunt. Ex eo tamen capite tibi placere poſſe lucubrationes meas certò ſcio, quod ſemper & ubique, quantum mihi per tenuitatem ingenii ac virium mearum licuit, veritatem ſectatus ſum, nullius addictus jurare in verba magiſtri, nullum ſequens niſi qui idem ſimplex & apertus veritatis cultor eſſet ac fraudis inimicus. Avidè exſpecto tuos, quos ad me mittis. His, ſtatim ac in manus meas pervenerint, non ſolùm oculos paſcam, ſed & animum quoque ſatiabo. Intelligo enim magnam ſtudiis meis acceſſionem factum iri & eorum lectione quos nondum vidi. Præterea mihi glorioſum erit, habere libros tuos munere tuo. Faciam autem ut eodem tempore Viri clariſſimi amici noſtri habeant partem tui muneris illis deſtinatam. Jam verò illuſtriſſimus Colbertus à me certior factus eſt de toto iſto negotio. Exhilaravit me ſpes, quam mihi feciſti de epiſtolis Innocentii III Romani Pontificis. Nam nihil hactenus à Romanis extorquere potui, adeò ut etiam aliquando propter tarditatem moramque rerum ſpem omnem abjecerim. Sed nunc aliquis bonæ auræ radius hinc rurſum mihi affulget. Nihil tamen certi mihi polliceri auſim, toties ſpe mea fruſtratus. Itaque finis imponeretur huic diuturnæ petitioni, ſi epiſtolarum illarũ exemplar ad me perveniret beneficio illuſtriſſimi Epiſcopi Paderbornenſis, qui codicem Vaticanum integrum, ut tu mones, ſua manu deſcripſit. Statim operæ typographicæ redirent ad editionem Innocentianarum epiſtolarũ. Iſtud tu cura diligenter, & meo nomine ſponde doctiſſimo antiſtiti effectnrum me ne illum pœniteat beneficii ſui, ſi exemplar earum epiſtolarum ex ſuo deſcriptum mecum communicaverit. De nova Capitularium

Digitized by Google

rium Regum noſtrorum editione illud te monitum velim, Vir clariſſime, Baſilium Joannem Heroldum, qui primus in lucem emiſit codicem legum antiquarum, in quo editi ſunt priores quatuor libri Capitularium, teſtari in præfatione ſua, ſe earundem legum exemplaria antiqua reperiſſe in bibliotheca monaſterii Fuldenſis, easque poſtea cum aliis quatuordecim aut amplius manuſcriptis codicibus contuliſſe. Unde colligi certò debet, Fuldæ & in vicinia repertos tum fuiſſe varios codices MSS. earundem legum & Capitularium. Fieri autem poteſt, ut iidem adhuc ſuperſint in ſuis locis. Eos tu, Vir optime, reperire in meam gratiam ſtude. Et ſi repereris, cura ut libri Capitularium conferantur cum editionibus Heroldi aut Lindenbrogii. Et ſi quæ præterea Capitula inedita in codicibus illis deſcripta fuerint, operæ pretium erit exemplar eorum ad me mitti.

Doctiſſimum illum virum veſtratem, qui de nova operum Flavii Joſephi editione cogitat, lubenter adjuvabo quantum in me erit. Heic in bibliotheca Regia habemus vetuſtiſſima & optima exemplaria Græca iſtius auctoris. Verum quoniam illa mitti non poſſunt in Germaniam, operæ pretium eſſet ut vir ille doctus adnotaret loca difficiliora quæ conlata vellet cum vetuſtis codicibus, & nos illa conferremus ſumma fide & diligentia. Sed tamen illum moneas velim eſſe in Anglia virum doctum qui eidem operi incumbit, ut mihi nuper narravit juvenis quidam Anglus bonarum literarum ſtudioſus.

Patricium Hamburgenſem, quem mihi commendas, intelliges ita à me exceptum eſſe ut imperaſti, ſi ad me venerit.

Ego, Vir clariſſime, tanti non ſum, ut imago vultus mei æri incidenda fuerit. Hæc gloria non debetur niſi ſummis viris & qui rebus præclarè geſtis immortalitatem meruerunt,

Digitized by Google

hoc est, tui similibus. Itaque desiderio tuo satisfacere non possum in hac parte. Mittam autem data occasione imaginem illustrissimi Viri Petri de Marca, quam valde miror missam non fuisse simul cum libro de concordia. Vale vir clarissime & eruditissime, meque semper ama. Lutetiæ Parisiorum VII Kal. Octobr. M DC LXXI.

Post hæc scripta, cum certior esse vellem de antiquitate & auctoritate veterum exemplarium Josephi quæ exstant in bibliotheca regia, ea examinare curavi, & animadverti bis quadringentis annis scripta esse. Sunt autem numero octo. Hæc te monere volui.

XIII.

STEPHANO BALUZIO

Viro Illustri

HERMANNUS CONRINGIUS

S. P. D.

QUarto vicesimo die Augusti mensis hinc Hamburgum curavi arculam libris nonnullis meis refertam. Eam pridem navigio aliquo in Galliam esse missam spero equidem, quoniam Residens Regius id se facturum mihi sanctè promisit. Gaudebo tamen demum, ubi ex te intellexero, rectè omnia unà cum meis ad Te literis esse tradita. Ex eo prodierunt nonnulla mea quæ tum sub prælo erant. Mittam verò etiam illa, ut & quæ jamtum alia affecta habeo, simulac voti me compotem sensero, & mare responderit desiderio. Nunc terrestri itinere accipe profutura Tuæ Capitularium novæ editioni: tempestivius quantum spero adventura, atque Reginonia. In hisce ope-

operam ſuam commodavit mihi tibiq; diligentisſimus Maderus meus: quam deprehendi relegens omni vacare culpa, ut posſis tutò illi credere. Senſi me exſpectatione falſum, de Regulis Vitæ Canonicæ & Monaſticæ Ludovicianis, ſive Aquisgranenſibus; quaſi & illæ in noſtris membranis habeantur. Pro illis itaque mitto nunc duntaxat Epiſtolam ad Saltzburgenſem Archiepiſcopum, & Indiculum Capitulorum Regulæ Monaſticæ: quorum utrumque pridem tibi indubiè eſt in manibus. Et verò niſi memoria decipit, Epiſtolam Binius jam edidit, & Aubertus Miræus inſeruit ſuo Codici Donationum Piarum, ſed mendoſam. Variæ Capitularis Carolini non inacceptæ erunt, quantum arbitror: quoniam notatæ ſunt ex codice perantiquo ac notæ optimæ. Quod ſi poſthac præclaros tuos conatus adjuvare poterimus, faxo ne quid deſit tuæ exſpectationi. Addo hac vice exemplum Privilegii quod Lindavienſi ad lacum Bodamicum monaſterio creditur Ludovicus Imperator concesſiſſe: in id tamen duntaxat, ut paucis me doceas, num te judice genuinum ſit nec ne. Ego confictum arbitor, longo poſt Ludovicum aut Carolinæ familiæ Reges tempore, ad compeſcendos Advocatos cœnobio illi ſeculari Sanctimonialium graves. Tua ſententia ſi meæ acceſſerit, omnis dubitatio ceſſabit. Scio enim quantâ in hiſce valeas judicii acrimoniâ, longo uſu ſubactus, neque mihi vacat in iis cum curâ verſari. Avidè ſanè cenſuram tuam deſidero. Quos mihi deſtinaſti libros, illos tandem rectè curatos, jam tum ſignificavi. Sunt verò illi non tam libri quam theſauri: quantum diligente eorum lectione deprehendi. Plurimum ſanè ſuperaſti exſpectationem meam Eruditisſime Baluzi, cum pereximiis tuis ad tam multos ſcriptores Annotatis, tum auro contra æſtimandis Mar-

Marcani operis ſupplementis : quorum nihil hactenus vel fando acceperam. Admirantur mecum omnes doctiores quique inuſitatam doctrinæ vim, & generoſum recti verique ſtudium profeſſionemque. Macte illa virtute, Optime Baluzi, & perge ita benè mereri de Eccleſia & Republica. Ego Tibi æternas debeo gratias pro donis usque adeò illuſtribus. Idem per me, juxta officioſiſſimam ſalutem, nunciari Tibi volunt Hildebrandus pariter & Maderus: uterque tuo dono beatus, & adſtrictus ad præſtantium tuorum laborum auxilia etiam in futurum. Utinam liceat ſaltim mihi aliquid commodum tibi præſtare ! Non patiar ſanè in me quidquam jure deſiderari. Tu verò perge favere

Virtutis ac doctrinæ Tuæ
cultori

Helmeſtadii 20 Octobr.
Anno 1671.

H. Conringio.

Vir longè celeberrime

ETſi Epiſtola Ludovici Imperatoris non pertineat ad res Gallicas, videtur tamen jungenda illi, quam habet Sirmondus Tom II. p. 427. ad Sicharium Archiepiſcopum Burdigalenſem, ut & alteri ad Magnum Archiepiſcopum Senonenſem quæ ab eodem Sirmondo exhibetur pag. 675. Sunt enim omnes ejusdem argumenti. Capitula vitæ Monaſticæ feci ex noſtro codice integra deſcribi, quoniam ab iis quæ habet Sirmondus, plurimùm diſcrepant. Quod ſi placuerit addere reliquis Capitularibus illa Carolina de rebus Saxonicis, quæ non adeò pridem Romæ ex codice Palatino ſeorſim ſunt edita, & libro meo de Origine Juris Germanici

Digitized by Google

manici adjecta, fortaſſis ex re fuerit, eruti illius libelli gloriam Ferdinando Paderbornenſi Epiſcopo & Principi cum grato aliquo encomio vindicare, perinde atque à me eſt factum cum Præfatione illius mei libri, tum pag. 54. Qui illi opuſculo ſubjungitur Indiculus ſuperſtitionum & paganiarum, creditus eſt quidem illi doctisſimo Epiſcopo ad res Saxonicas itidem pertinere, eoque à me poſtulata eſt ejus quædam illuſtratio. Oſtendi verò, illa antiquiora eſſe primis Chriſtianiſmi in Saxonia rudimentis: atque pertinere illum indiculum ad caput V Synodi Liptinenſis celebratæ anno 743. Id quod indubiè etiam Tu probabis: mecumq; corriges illam Sirmondianæ editionis voculam *Nedfrutres* in *Nodfyres*, quorum fit mentio in Indiculo: cùm hodieq; Germanis nobis *Nodfyr* appelletur ignis magna violentia excitatus, confrictu lignorum, quo vulgus agreſtium ſuperſtitiosè abutitur adverſus creditas pecudum faſcinationes. Dum Salvianum video, veteres delitias meas, & Cæſarii homilias, non poſſum non ſignificare, inter MSS. noſtræ Juliæ reperiri S. Eucherii libros ad Veranum F. de myſticis verborum ſignificationibus, & Cæſarii admonitiones; Oroſio item adſcriptum librum ſuper Canticum Canticorum, Alterumque Quæſtionum cum reſponſionibus S. Auguſtini, nec non Sulpitii Severi de Vita S. Martini librum primæ inter codices MSS. antiquitatis, aliaque illius ævi non aſpernanda, etſi ſubbarbara. Sed quò me abripit harum rerum ſtudium! Ignoſce & longum vale, ſimulque Illuſtrisſimi Colberti favorem patrociniumque mihi conſervare ne deſinas.

Digitized by Google

XIV.

Clarissimo & eruditissimo Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS

Tutelensis

S. P. D

PRæterito mense Novembri, cum gravi & periculoso oculorum morbo affectus esſ-m, accepi postremas literas tuas; quas cum legere per me ipse non possem, per amicum quendam doctum effeci ut mihi legerentur. Tantus erat ardor sciendi quid in eis contineretur. Respondissem autem jamdiu, si mihi licuisset per malam valetudinem, cum qua conflictatus sum per totam hyemem. Nunc demum redit animus, simulq; redeunt intermissa tantisper studia doctrinæ. Itaque nunc ad literas tuas respondeo, vir doctissime & humanissime.

Nondum accepi libros quos ad me scripsisti missos à te esse Hamburgum exeunte mense Augusto. Simul ac pervenerint in manus meas, evolvam illos avide ac diligenter, præsertim eum in quo tractas de origine juris Germanici, quem scio plurimum lucis allaturum editioni quam paro Capitularium Regum Francorum. Recordabor autem consilium tuum, cum edam Capitularia Saxonica Caroli Magni, ut omnes intelligant ea à tenebris vindicata esse studio & diligentia Illustrissimi ac doctissimi Principis Ferdinandi Episcopi Paderbornensis. Scio enim, tum ex literis tuis, tum ex sermonibus multorum, magnum virum esse & nostrorum studiorum fautorem. Velim porrò, vir clarissime, ut ei meo nomine amplissimas gratias agas ob singulare benevolentiæ ejus erga me testimonium, qui exemplar versuum à se compositorum in Regiam Luparam, sanè perquam ele-

Digitized by Google

elegantium & doctorum, mihi cum laudibus, quas non merui donari jussit ab eo, cui illorum editio commissa est.

Multa sunt in privilegio monasterii Lindavienſis quæ illius falsitatem adstruunt. Nam præter textum diplomatis, in quo bene multa sunt aliena à stylo cancellariæ Principum illius ævi; non solebant tum apponere diplomatibus annos Incarnationis dominicæ. Deinde annus imperii Ludovici II. non congruit cum anno Incarnationis dominicæ illic annotato, sive initia ejus referas ad annum DCCCL. quo in consortium imperii adscitus à Patre Lotbario est, sive annos imperii ejus numeres ab excessu patris. Denique Indictio secunda non convenit cum anno illo Domini. Neque Ludovicus tenuit imperium per annos viginti sex. Itaque omnino accedo tuæ opinioni, donec probabiliora hujus privilegii exemplaria adferantur.

Auctor fui Domino Jacobo de Anten, qui has literas tibi traditurus est, ut novam editionem Marculfi ne emeret, quoniam nihil in eâ novi adjectum est. Præterea ego eundem auctorem multò emendatiorem daturus sum in nova editione Capitularium, formulas etiam veteres Marculfo adjectas daturus & emendatiores & multò plures. Nam quæ hactenus prodierunt, quia in veteri libro Solœcismis fœdatæ erant, emendatæ sunt ante editionem ad regulas Grammaticæ. Ego suos illis nævos restituam ex vetustissimo codice MS. ex quo editæ sunt.

Typographus meus nunc incumbit novæ editioni dialogorum viri celeberrimi Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis de emendatione Gratiani. Addam autem & ego aliquot Notas & Emendationes, tum etiam præfationem de Origine novi juris Canonici. Spero editionem illam absolutum iri proximo mense Aprili. Valdè autem necessarium esset, uti mihi certam aliquam viam indicares, quâ ad te pervenire

citò posset unum illius libri exemplar. Saluta plurimum Hildebrandum & Maderum, & isti meo nomine gratias age ob operam mihi præstitam in decretis Concilii Aquisgranensis sub Ludovico Pio celebrati.

Vale Vir clarissime & eruditissime, & me semper ama tui nominis studiosissimum cultorem. Lutetiæ Parisiorum XI Kal. Aprilis MDCLXXII.

XV.

Illustris & Reverendissime BALUZI

EX literis Capellani nostri, magno cum gaudio, redditas tibi varias illas quas petiisti, cum dolore autem summo, nondum adveniſſe arcam illam librariam, quam curæ Residentis Regii Hamburgensis commisi, intellexi. Maximè omnium in mœrorem me conjecit siniſtra de valetudine tua sparsa fama : etsi Capellanus me optima quæque sperare jusserit. Cruciat profecto, mi Baluzi, animum illa sollicitudo, supra quam verbis possum exprimere. Eoque rogavi Nobiliss. Juvenem de Anten illum, quem antehac tibi laudavi, adeat & inviſat Te, etiamsi adhuc fortè (quod non speraverim) nondum cum sanitate redieris in gratiam, meoque te nomine salutet. Ex illo meliora omnia spero propediem me accepturum : pergam interea precibus Deo salutem tuam commendare. Quin saltim nunc advenerint libri mei, haud dubito : præsertim quia Residens ille Hamburgensis recte abs seſe curata omnia asseverat. Ab Illustrissimo Episcopo & Principe Paderbornensi de Innocentii Epistolico volumine ac variis Capitularium,

rium,nihil accipio reſponſi. Videntur aures illius obſidere Jeſuitæ. Nec forte illi ignota, quæ Romæ geſta ſunt Alexandro VII. Pontifice in cauſſa operis de Concordia Sacerdotii & Imperii. Fuit enim inter primos ſacro cubiculo & familiaris Lucæ Holſtenio intimus, cujus proinde poſtuma de Regulis Monaſticis, de Actis Martyrii S. S. Perpetuæ ac Felicitatis, ut & Monumentorum Romanorum collectionem,publicavit. Sed quid ego tibi hiſce nunc moleſtus ſum,priusquam certo mihi conſtiterit recuperatam valetudinem ? Valere itaque Te potius opto,optime Baluzi, idque cumprimis hoc quem ingreſſi ſumus anno

Helmſtadii,12. Januarii 1672.

Tui ſtudioſiſſ. Cultor
Hermannus Conringius.

XVI.

Illuſtri
D. BALUZIO
S. P. D.
HERMAN. CONRINGIUS.

MUltùm pridem me ſollicitum habuit valetudo tua, eruditiſſime Baluzi. Eòque amici penè indies conquerentem me heu audierunt : nec tibimetipſi ſollicitudinem iſtam diſſimulavi jam tum anni hujus initio. Cum literæ autem illæ,quantum ex Antenio reduce intelligo,cum aliis interciderint,mitto nunc demum earum apographum. Cæterùm ille quem dixi Antenius ſignificavit mihi quidem jam dudum meliora, literas tamen tuas denique redux heic reddidit nudius-quartus. Iis viſis autem

tem præ gaudio (fateor) pene exsilui. Deum ob[illegible] etiamnum, uti illum morbum jubeat esse longæ valetu[illegible] redintegrationem.

Librariam arculam ne tunc quidem, cum [illegible] exarares, esse redditam, perquam doleo, [illegible] tamen iterum spem mihi facit optimam Regius que[illegible] pius dixi Residens: pridem scilicet illam nactum no[illegible] Parisiensem mercatorem Pierre Fromond. An creder[illegible] homini debeam nec ne, fateor me etiamnum ambiguum esse, quoniam mercatoris illius fides & sedulitas, reverentia item erga Illustriss. Colbertum laudatur. Quæso, viro illi cures indicari quid Hamburgo mihi non semel significaverit Du Pre; & si me hic non fefellit, tandem aliquando facias arculam illam tibi tradi. Si fefellit me homo (nec enim fido Mercurialibus illis ingeniis) placeat quæso, illum Illustrissimi Colberti nomine acriter increpari, & ab illo exigi arculæ restitutionem. Nec enim video aliam rationem recuperandi perfidè adeò curata. Simul verò homo ille saltim imposterum jubebitur fideliùs sibi concredita administrare. Et verò habeo iterum, quæ cupiam Bibliothecæ Colbertinæ Tuæque consecrata: nec dubito posse illa Hamburgensi navigio, utut Oceani omnia infestis hodie armis turbentur, Rotomagum deferri per Regium illum ministrum, modò ille jussus fuerit Illustrissimi Colberti caussam agere justâ fide ac diligentia.

Eodem, quo Tuas accepi momento, magno me gaudio affecit quoque Illustrissimus Paderbornensium Princeps, significans, per Regium Legatum Verjusium missas tibi jam tum Innocentianas Epistolas. Non enim dubito illas rectè curatas. Misi incomparabili illi Episcopo (qui solus inter nostros & doctus est & literas curat, reliqui quum toti sint seculares, nonnulli sanguinem humanum fundere, & omnia

sive

Digitized by Google

sive armis sive voluptatibus perdere, habeant in delitiis) partem literarum Tuarum. Rectè feceris, si meo exemplo laudaveris illius Principis industriam in promendis Capitularibus Saxonicis. Illorum exempla aliquot misit Princeps mihi ultrò ante annos aliquot in auctoramentum suæ erga me gratiæ, hactenus mihi ignoratæ. Ut suaves illius mores cognoscas, mitto literarum quas ad me primas dedit, apographum: imò mittam & exemplum ipsorummet Capitularium Romanæ editionis, si fortè desideres.

Diplomatis Lindaviensis falsitatem tibi quoque probari, equidem gaudeo. Invitatus, argumentum hoc integro libro trado, cujus jam tum triginta quatuor plagulæ excusæ sunt. Quoniam verò simul Carolovingici ævi res Sacræ ac Profanæ illustrandæ veniunt, faxo, ut in tempore habeas omnia, quò possis oportunè obelo configere minus rectè dicta. Nam & tuæ ad Agobardum & Lupum notæ mihi non semel sunt laudatæ. Institutum Tuum de Marculphi Formulis perplacet. Usus est locupletiore codice etiam Lindenbrogius. Mihi videtur opus illud variis senesim argumentis crevisse, Marculpho pridem jam defuncto. Illustrare fortassis Marculphum nonnihil aptæ sunt, præter Diplomata vetera. chartæ Fuldenses & S Gallenses à Pistorio & Goldasto editæ: quæ haud dubiè tibi ad manus sunt. Inter manuscriptos nostros nihil superat quo possis adjuvari. Novam editionem Emendationum Gratiani avidè desidero: cum primis Notarum Tuarum & Præfationis gratia. Quâ me donare cùm velis, jam tum ago gratias maximas. Si Hamburgi, quo dixi modo, constitutum fuerit commercii negotium, per Hamburgensem nautam æque securè librum illum ego accipiam atque reddam mea. Sin, de alia via cogitandum fuerit.

Vale

Digitized by Google

Vale optime Baluzi in multos annos, & mihi favere perge.

Helmſtadii IX. Kal. Jun.
1672.

Reſponſum (ſi quod reddere volueris) quæſo mittas Coloniam Agrippinam ad Regium Legatum Verjuſium. Nolim enim incidere in manus infidas, quales hodie ſunt plurimæ.

XVII.

Clariſſimo & eruditiſſimo Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS
Tutelenſis
S. P. D.

TAndem aliquando libros accepi quos ad me miſiſti, Conringi Vir clariſſime; pro quo tam magnifico munere gratias tibi ago quas debeo. Evolvi omnes diligenter, aliquos perlegi ſatis accuratè, præſertim epiſtolas Leonis III. & librum de origine juris Germanici. Cetera per otium, ſi Deus dederit. Affirmare interim poſſum me bene multa legiſſe docta & utilia in libro illo de origine juris Germanici & in Notis ad epiſtolas Leonis. Vellem tamen ut alicubi ſtilum temperaſſes pro tua modeſtia, neq; ad quamlibet occaſionem inſultaſſes Epiſcopis Romanæ Eccleſiæ. Fieri poteſt ut inter illos nonnulli mali fuerint. Scis tamen, cum doctus ſis, præclaram illam Leonis magni ſententiam: Etſi diverſa interdum ſint merita Præſulum, jura tamen permanent ſedium. *Non nego quin noſtra quoque ætate ſupereſſe poſſint aliqua quæ emendatione fortaſſis indigeant. Sed ſunt interdum aliqua toleranda pro bono pacis; modò ne*

Digitized by Google

dò ne interim ſacroſancta fides violetur, neve ſcandalum in Eccleſia generetur. Tenes illud Tertulliani in libro de virginibus velandis : Sola fidei regula irreformabili & immutabili manente, cetera converſationis & diſciplinæ admittunt novitatem correctionis. *Scimus omnes ſanctam Eccleſiam puriorem quodammodo fuiſſe antiquitus, cum pauper erat. An ideo culpanda, quia Deus pro immenſa ſua bonitate eam locupletavit amplis latifundiis & agris ? Non exiſtimabat Salvianus divitias per ſe malas eſſe, etiam in Eccleſia, ſed pravum earum uſum damnabat.* Non enim ipſæ divitiæ per ſe noxiæ, *inquit*, ſed mentes malè utentium criminoſæ. *Itaque ſtudium divitiarum damnatur, non ipſæ divitiæ. Vellem itaque, vir optime & eruditiſſime, ut Notas tuas ad eam regulam omnes direxiſſes, primùm quia ſic te decebat hominem ſapientem, deinde quia evitaſſes gravem Philippi Labbei Presbyteri è ſocietate Jeſu cenſuram, qui in novisſima & maxima collectione Conciliorum, cum ederet epiſtolas illas Leonis, hæc in margine adnotavit*: Hanc & novem ſequentes edidit an. 1655. Helmſtadii Hermannus Conringius. Sed pro ſolenni hæreticorum more fœdiſſimis adverſus Eccleſiam catholicam ejusque ſupremos Pontifices criminationibus atq; calumniis conſpurcatas. *Vides audaciam meam, Vir clariſſime, & quam familiariter te moneam. Ultere deinceps, obſecro obteſtorque te, bonitate naturæ tuæ & ingenii tui, & iſtas acres exulceratarum mentium reprehenſiones cave; ſimulque mihi condona hanc velut prolapſionem reverentiæ erga te meæ.*

Significavi Illuſtriſſimo Patrono meo Domino Colberto miſiſſe te ad eum aliquos libros à te editos, ut in Bibliotheca ejus reponerentur. Eam rem ipſe valde gratam habuit, juſſit porrò, ut gratias tibi ſuo nomine agerem.

Digitized by Google

Ceteros quos ad amicos nostros misisti, omnes acceperunt. Perraldus noster hoc epistolium ad te scribit pro gratiarum actione.

Dum ista scribuntur, reddita mihi est postrema epistola tua data IX. Kal. Junii, ad quam breviter respondeo.

Primùm gratias ago quòd ita me amas, ut etiam valde commotus fueris incommodo valetudinis meæ, postquam ex Clarissimi Capellani literis audii, afflictam illam ac miseram esse. Sane in eo tum statu erant res meæ, ut parum abfuerit quin oculos amiserim, id est, potiorem ac jucundiorem vitæ meæ partem, ut ad te jamdiu scripsi. Melius nunc me habeo. Nondum tamen depulsa est penitus ægritudo illa, & adhuc quasi caligant oculi mei. Quo fit, ut intermittere cogar studia mea, & propter hoc ipsum deesse editioni dialogorum Antonii Augustini de Emendatione Gratiani, quæ perfecta jam diu esset, si ex superioris anni morbo convaluissem. Exibit tamen, ut spero, mense Julio; & statim datâ occasione, mittam ad te, Vir Clarissime, exemplar quod tibi pollicitus sum & nunc quoque polliceor.

Quantum debeam humanitati Celsissimi Principis Episcopi Paderbornensis, non est hujus loci dicere. Alibi commodior erit locus. Illud tamen apud te silere non possum, captum esse me admiratione virtutum ejus, sed inprimis singularis humanitatis & amoris erga literas & literarum studiosos. Legi illius versus, homo alioqui minimè Poëta, & lubens legi, & cum maxima voluptate. Neque dissimulavi inter amicos meos viros doctos. Deus illi tribuat longam vitam, qui tam benè de Ecclesia & de literis meretur.

Vale Vir optime & eruditissime, & quod te facere certò scio, semper ama Baluzium tuum. Lutetiæ Parisiorum III. Kal. Jul. MDCLXXII.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII.

Illuſtris Domine.

QVas 3. Kal. Julii exaraſti, rectè quidem ſed tamen pridiè demum Kal. Septembr. redditæ ſunt ; curam Illuſtriſs. Dom. Legati Regii Verjuſii morantibus negotiis cum alibi tum in caſtris infelicibus ad Groningam Monaſterienſis militis. Adventantem huc viciniæ in aulam Verjuſium non licuit convenire præ nephriticis doloribus; non literas tamen duntaxat ad illum dedi , ſed etiam faſciculum comprehendentem quatuor ultimæ , ut ita loquar, fœturæ meæ libros, in uſum Illuſtriſs. Mecænatis Colberti, & Tui, & noſtri optimi Capellani bibliothecarum; ſi fas fuerit illic reponi. Ad Te tamen literas addere, prohibuerunt dolores, & ſperato velocior Verjuſii diſceſſus. Quoniam verò ille promiſit, ſeſe propediem Lutetiam curaturum libros acceptos , vix dubito illos pridem jam eſſe traditos. Cæterum literæ Tuæ cum aliis nominibus quàm multis tum ſtatim initio ſuo perquam fuerunt acceptæ; nunciantes ſcilicet , tandem aliquando ea quæ ſuperioris anni æſtate miſi, adventaſſe , nec hactenus diſplicuiſſe levidenſe munus. In Notis ad Leonis III. Papæ epiſtolas ſi juſto fui acrior interdum, veniam tamen, niſi fallor , mihi conciliabunt multorum veteris & optimi quoque ævi exempla, cleri ambitionem & φιλαργυρίαν acerrimè inſectantium , etſi illa utraque longè abeſſet tum à moribus ævi Carolovingici. Ex eo ſanè Clerus noſter, omnis ferè, tantum non undequaque factus eſt ſecularis, ſepoſito mandato ſibi à Salvatore ſanctiſſimo munere. Forte vix poterit ſatis exprimi verbis rei impiæ indignitas. *Jura Romanæ ſedis* abſit ut ego ſollicitem. Quæ autem abs me reprehenſa ſunt , nec

Tu, scio, *jura* appellaveris. Mussitanda multa, quæ egent emendatione, omnino tecum sentio. Nulla Ecclesia universi orbis â copiosis zizaniis libera est : eorum exstirpatio divinæ messi reservanda est : interim nefas fuerit zizania eodem atque triticum benigno oculo aspicere. Quæ *conversationis & disciplinæ* sunt, admittere debent *correctionem* ; multò ergo magis severam increpationem , utpote hæc si absit, nec correctio admitti potest. Non *culpanda est Ecclesia ob divitias* : sed *usus divitiarum* istarum præposterus imo improbus, quî mereatur excusationem, haud equidem video. Perplacet igitur optimi Salviani sancta sententia ; *mentes verò utentium* opibus & mundana potentia Pontificum , juxta mecum indubie fuisset criminatus Presbyter ille, si in seculum Carolovingicum secutamque ætatem incidisset. Quanto *studio* ex eo usque divitias & potentiam Clerus affectaverit, nemo te minus ignorat : eoque nec tu, scio, non *studium* illud damnabis. Labbei voculas iniquas non moror : est enim ille ex more suæ sodalitatis, neminis nisi suorum benignus censor. Quanta calumnia est , *me criminatum Ecclesiam Catholicam !* qvum in eam nec verbulum mihi exciderit. Non in omnes etiam *Pontifices supremos* aliquid acerbum dixi, sed in illos istius ævi mundanos terrarum piscatores eorumque sectatores. Sancti mores veteris Ecclesiæ mihi, fateor, usque sunt adeo pridem probati , ut Labbeana convitia commiseratione potius prosequar quam indignatione. Ad illius Ecclesiæ omnia jam tum juvenis animum composui : quæ dissident, improbo, nullo partium habito respectu, etsi utrinque vapulem. Quoniam etiam Te, optime Baluzi, illius aurei ævi indole imbutum præclara tua scripta produnt, ne dubites *monita* tua fuisse mihi quovis melle dulciora : sed &, quantum fas fuerit,

rit, temperaturum me calamum, ne quod asperius dictum exulceratas mentes irritet imposterum, præsertim si emendatio sperari à me nequeat. Quod si perrexeris monitis me tuis amicè instruere, æternùm de me bene mereberis. Longè sane pluris mihi est talis monitor quam laudator. Si & alia libera judicia tua, pro eo quo vales acumine, communicaveris, rem facies longe gratissimam. Non dubito autem passim abs Te animadverti quæ justam reprehensionem mereantur. In iis quæ nuperrimè misi, non semel offendes nomen etiam tuum: cumprimis in Lindavianis p. 186. 188. 190. 200. 214. 396. Quin ultimo loco reperies partem literarum tuarum publici juris factam. Id quod ne feras ægrè, rogo. Quæ in Lampadianis pag. 240. habentur, ante complures jam annos fuerunt scripta; sola illa paginæ 295 nova sunt. Utinam se tibi probent! Certe unus cum hac parte valeas, uno te approbatore possum esse contentus. Tantum ne invideas mihi tuam censuram. Quæ nuperrimè Colbertinæ Bibliothecæ consecravi, spero non minus futura accepta atque priora. Sequentur forte brevi alia quorum pars jam tum sub prælo est. Eorum exemplum & Perraldo mittam: quia video priora isthæc haud displicuisse. Illustrissimi Mecænatis consilium prudens veneror. Meditor nunc adeo scripti aliquid non minus utile: quod brevi curabo ubi tutum fuerit. Doctissimus Episcoporum & Principum nostrorum Paderbornensis in omnibus ad me literis mentionem Tui facit honorificam: duarum quoque epistolarum tuarum mihi fecit copiam: ut proinde jam totus ille tuus sit. Auctor ipsi fui, ut participem te faciat Monumentorum Paderbornensium, scripti perquam eximii. Id factum jam esse, haud equidem dubito. Misit epistolam Cossutii Soc. Jes. Presbyteri ad

Christianissimum Regem in novam Conciliorum editionem : doctam sanè & elegantem , forte tamen habentem plusculum adulationis, atque ita minus & sacro argumento & Presbytero dignam, nisi à seculi moribus facilis sit culpæ excusatio. Oculorum tuorum vitium nondum omni ex parte curatum, equidem plurimum doleo. Spero autem non obstitisse, quo minus jam prodierit Antonii Augustini promissum opus. Supersunt in Bibliotheca Academica nostra , præter exempla Cresconianæ Canonum collectionis, tres quatuorve aliæ MSS. De iis scribam aliquid proximè, si tanti esse videatur. Vale bono publico & perge favere Tibi

Illustris Domine

Helmestadii, 19. Octobr. 1672.

devoto ætatem amico

Illustrissimo Colberto perpetuam precor felicitatem.

Hermanno Conringio.

XIX.

Clarissimo & eruditissimo Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS

Tutelensis

S. P. D.

ACcepi his diebus epistolam tuam datam die XIX. Octobris, Conringi Vir Clarissime, cùm jam parata esset arcula ad Illustrissimum & Celsissimum Principem Ferdinandum Episcopum Paderbornensem ferenda , in qua reposui unum exemplar dialogorum Antonii Augustini de emendatione Gratiani, quod ad te spero missum iri ab eodem illustrissimo Præsule.

ſule. Habebis eodem tempore imaginem Petri de Marca Archiepiſcopi Pariſienſis, quam tibi jamdiu pollicitus ſum.

Præfatio mea ad Antonium Auguſtinum heic Lutetiæ multis viris doctis ſatis arriſit, cùm ob dignitatem materiæ, tùm quia libere decurrit oratio. Sanè argumentum iſtud nondum ea methodo tractatum erat quam ſecutus ſum. Cùm illam legeris, oro te, Vir eruditiſſime, ut ad me perſcribere velis tuum de eâ judicium, quod plurimi fecero. Scis enim eximiam eſſe meam erga te reverentiam, magnam de te tuaque eruditione opinionem.

Libertatem meam à te in bonam partem eſſe acceptam vehementer gaudeo ac mihi gratulor. Quanquam omninò perſuaſum habebam rem aliter non caſuram, quod multùm virtuti ac bonitati humanitatique tuæ confiderem. Concedo autem tibi nonnullos veterum exclamaſſe olim adverſus nimiam cleri ambitionem & amorem divitiarum. Neque ego nunc eos abſolvere à culpa velim qui his rebus nimiùm ſtudent. Illud tantùm contendo, utendum nunc eſſe lenioribus verbis, quantum ſuſcepti argumenti ratio patitur; præſertim ubi nihil proſici poteſt aſperiori oratione, cùm eò ventum ſit, ut neceſſe nunc ſit iſta tolerari. Quod ita te intelligere atque exiſtimare certò ſcio.

Eadem libertate qua tecum egi occaſione Notarum tuarum ad epiſtolas Leonis III. Romani Pontificis, agam etiam in lectione librorum quos ad me mittis per Verjuſium, laudaturus quæ benèdicta fuerint, liberè moniturus ſi quid occurrat quod me moveat. Quanquam vides nihil à me reprehenſum eſſe in his Notis tuis præter verba quædam nimis dura & aſpera, cæterùm rem ipſam ſalvam eſſe, in quam non intendi accuſationem ullam. Multa, mi Conringi, eaque præclara diſco in lucubrationibus tuis, in plerisque tecum ſentio. Et ſi interdum

dis-

dissentire cogor, imputandum istud est amori religionis, qui me non patitur ea omnia dogmata profiteri, quæ vos forsan putatis esse optima & Christianissima. Deus, qui cordium & cogitationum scrutator est, quemque pro suis meritis judicabit. Interim amemus, mi Conringi; & tametsi diversas opiniones tuemur in causa religionis, moribus tamen diversi non simus, qui eadem literarum studia sectamur.

Quod Illustrissimus Princeps Paderbornensis, doctissimus, ut tu rectè vocas, Episcoporum & Principum Germaniæ vestræ, de me bonorificè semper loquitur in literis quas ad te scribit, facit ille quidem pro more suo, cùm singularis ejus sit humanitas suavissimique mores, sed tamen etiam, audeo dicere, facit pro meritis meis. Si enim benè meremur de his quos amamus, suspicimus, veneramur, haud dubiè Princeps ille me benevolentiæ suæ testimoniis ornare debet, qui me captum & incensum profiteor admiratione virtutum ejus. Nondum se obtulit occasio inserendi nomen ejus in libris à me editis. Spero autem amplam occasionem ejus laudandi fore in editione epistolarum Innocentii III. & in Notis meis ad Capitula Regum Francorum, ubi magno mihi usui erunt Monumenta Paderbornensia. Quoties ergo in literis ad illum tuis incidet mentio de me, memineris, quæso, commendare apud illum reverentiam & observantiam meam, vademque te pro me constitue.

Vale, Vir optime & eruditissime, & me semper ama, tui semper nominis ex animo studiosissimum. Lutetiæ Parisiorum XIII. Kalendas Januarias MDCLXXIII.

Exspecto ut ad me aliquid scribas de collectionibus canonum quæ manuscriptæ extant in Bibliotheca Academiæ Juliæ.

XX.

Digitized by Google

Isat XX.

Illuſtris Domine

VLtimas meas 19 Octobris exaravi: ſpero autem rectè pridem eſſe curatas, quoniam Illuſtriſs. Verjuſio ſunt miſſæ & quantum intelligo, traditæ. Ex eo aliquid dare vetuerunt turbæ bellicæ: quæ ſimul dubium me reddunt utrum vel has ſis acceptūrus, eoque vel liberioris commercii literarii ergo pacem me anxiè deſiderare adigunt. Et verò ſi itinera eſſent tuta, dudum non tantum perpetuæ obſervantiæ teſtandæ cauſa, ſed etiam uti abs te in nonnullis erudirer, non unas ad te exaraſſem. Horis ſcilicet ſucciſivis dum recenſeo librum meum de Antiquitatibus Academicis, eique integrum librum addo ſupplementorum de ſcholis omnium gentium vetuſtis, hæreoque in ſcholis Monaſticis & Epiſcopalium Collegiorum, videtur diſcedendum in quam multis mihi eſſe à vulgaribus mihiq; ipſi antehac placitis ſententiis, niſi Tu, quem ego unum harum rerum intelligentem novi, me adjuves. Recenſeo item Exercitationes meas priſtinas de Republica Imperii Germanici: ubi multa differui de Republ. antiqua Francorum Carolovingici cumprimis ævi, quorum cenſorem optimum Te itidem agnoſco. Utrumque opus prælo commiſi, deſperans de Tua aliqua opera. Simul verò prodierint & hæc & alia quædam mea in lucem, quod ſpero vere proximo futurum, mittam omnia, etiam tunc paratus cenſuram tuam ſubire. Quæ Illuſtriſſimo Mecænati promiſi, expectant duntaxat commodam transmittendi occaſionem & nonnihil compoſitas magis Imperii res. Id quod bona fide cum obſequii mei promptitudine potes polliceri. Utrum in hunc quoque annum Palladem benigno oculo reſpicere

ſpicere Chriſtianiſſimo Regi fue[illegible]ſtitutum nec ne, indubiè noviſti. Me adverſa q[illegible]metuere faciunt ſanè haud pauca. Rem proinde gratiſſimam præſtiteris, ſi quidquam docueris certi : ſaltim quo rectius componi poſſint mea. Nec enim de valetudine Tua ſequius quidquam ſuſpicor, multo minus de priſtino in me favore. Perinde atque ego ſum maneboque ætatem

Optime & Illuſtris Baluzi

Helmſtadii, 13. Febr.
Anno 1673.

Tuus
perpetuus cultor
H. Conringius

XXI.

Illuſtris Domine.

ANte hoſce dies decem, exaravi ad Te literas. Ut haſce iterum dem, efficit ingens mihi hodie excitatum deſiderium, ex Te aliquid certi cognoſcendi de ea quæ in Regno Franciæ hodie perhibetur agitari inter diſſidentes partes Religionis concordia. Mihi ſane nihil magis eſt in votis ; nec diſplicent quæ de hoc argumento in chartam conjecta circumferuntur. Fortaſſis etiam Tibi, Optime Baluzi, idem eſt animus. Vix enim perſvaderi mihi patior, ſeriò agi hoc negocium, ſaltim à Clero, aut à quoquam apud quem Jeſuitica ſodalitas eſt in pretio : nec enim illa quidem ſocietas ſolet ſapere quidquam moderatum. Mirum etiam, media inter ſæva arma Chriſtianiſſimo Regi concordiam Eccleſiaſticam cordi eſſe : etſi is animus fuerit Cæſaribus noſtris, Ferdinando primo ejusque ſapientiſſimo filio Maximiliano, qui in id uſi fuerunt Caſſandri &

dri & Wicelii consiliis abs me editis. Quicquid sit, avide equidem desidero ex te intelligere. Nec vero speraverim grave futurum me docere. Vale ac salve plurimum

Illustris atq; optime Baluzi

Helmestadii 24 Febr. 1673.

Cujus me perpetuum fore cultorem profiteor

Hermannus Conringius.

XXII.

Illustris Domine.

TUas XIII. Kal. Januarii exaratas quarto Martii mihi quidem destinavit Illustriss. Verjusius, accepi tamen denique die mensis illius tricesimo. Usque adeo innocentissima Palladis commercia viciniæ nostræ Mars turbavit aliquamdiu. Etsi verò tunc & Tuæ & Verjusianæ mihi sint redditæ, nunc tamen demum respondeo: quia serium responsum dare hactenus præ metu interceptionis non fuerim ausus, & præter omnem exspectationem nunc mihi sese offerat commoditas aliquid ad Verjusium mittendi. Dedi enim quidem aliquid ad Te etiam & vicesimo tertio Februarii pariter & Martii quinto, aulâ nostra invitante, jamque spero recte tradita, ad Tuas tamen literas illorum nihil facit. Quantumvis autem justo tardius Tuæ advenerint, fuerunt tamen longè acceptissimæ compluribus nominibus; cumprimis quod & valetudinem, cujus cura pridem me habuit sollicitum, restitutam, & animum verè Christianum cum pristinâ benevolentiâ etiam mihi integrum patere, abunde significaverint. Non enim lætius quidquam Lutetia exspectavi: eòque DEUM veneror,

ut utrumque & Tibi, Vir optime, & mihi sit diuturnum. De me vicissim, rogo, Tibi persvadeas, & justas increpationes & sententiarum dissidium ferre me animo æquissimo, jamque dudum Ecclesiæ pacis fuisse studiosissimum, quamvis à zelotis fuerim durè propterea exceptus. Nisi grave fuerit, lege sodes Epistolici operis octavam ante hosce triginta sex annos scriptam, ut & sexagesimam quintam; nisi velis operam perdere in legenda etiam tricesima prima & quinquagesima septima aliisque nonnullis argumenti sacri. Simulatque dabitur commoditas mittendi, habebis & Cassandriana & alia mea, quorum exempla nunc demum recuperavi: ut eo rectiùs tibi probetur meum à factionibus & schismate alienum ingenium; salvo tamen integroque veritatis studio, quod in omnibus tuis etiam scriptis amplector equidem & exoscular, quoties illorum cunque in manus meas aliquid incidit, id quod fit frequentissimè. Hinc eruditissime Baluzi, jam tum avidè desidero quam polliceris censuram eorum quæ nuperrimè per Verjusium curavi: quoniam præsertim illa jam rectè esse tradita, accepi ex literis Capellani nostri scriptis 30. Januarii: imo eapropter desidero etiam responsum Tuum ad meas quinto Martii datas, de iis quæ in Germaniâ passim circumferuntur chartis, tantum non Christianissimi Regis nomine publicatis, de sopiendis Regni Ecclesiasticis controversiis. Tuam in Antonii Augustini librum præfationem ubi accepero, quâ soleo Tua omnia sedulitate legam protinus. Non enim dubito, Te justa παῤῥησία persecutum Canonici juris historiam, quantumve illud jam Gratiani ævo à pristino deflexerit. In Bibliotheca nostra Academica tres antiquissimi codices membranacei supersunt, præter Crisconianam, Collectionis Canonum. Uni inscripsit Flacius: *Decreta*

Pon-

Digitized by Google

Pontificum: Alteri, *Diverſa Decreta Pontificum* : Tertio: *Anacleti Papæ Decreta*: omnes enim quondam poſſedit Flacius. Primus continet tumultuariam variorum Canonum collectionem, videturque conſcriptus Ottone M. Imperante præterpropter. Sub finem enim ita legitur : *Nomina Pontificum, qui ab ipſo Principe Apoſtolorum S. R. E. præfuerunt usque ad miſerum Benedictum exilio relegatum in Oceani littore.* Continentur etiam hic acta Synodi Romanæ Joannis XII adverſus Leonem Papam. Ut non obſcurè pateat, collectorem Joannis illius & Benedicti partibus fuiſſe deditum. Habentur ibidem & Acta Stephani Papæ Synodi Romanæ contra Conſtantinum Antipapam, ut & Relatio miſſorum Adriani Papæ in Angliam anno 786. Reliqua ſunt exigui momenti. Alter multò eſt recentior, ſeculi forte duodecimi fœtus, ſed itidem anonymus. Conſtat autem duplici Collectione Canonum, alterâ ex Epiſtolis Pontificum Iſidorianæ fœcis aliisque usque ad Urbanum II. deſumptâ, alterâ ex Canonibus Conciliorum primò Generalium mox & Provincialium, quorum ultimum eſt Hiſpalenſe adeoque itidem ab Iſidoro accepta. Illum locum hiſce verbis claudit Auctor : *Hactenus de Corpore Canonum: ea quæ ſeqvuntur aut ſententiæ ſunt Orthodoxorum Patrum, aut leges Catholicorum Regum, aut Synodicæ ſententiæ Gallicanorum aut Germanorum Pontificum.* Seqvuntur deinceps ſententiæ illæ, per multos titulos, quorum ultimus inſcribitur *de cauſis laicorum*, digeſtæ. Earum nonnullæ autem deſumptæ ſunt ex Inſtitutis, Pandectis, Codice & Novellis Juſtinianeis : atque ita Lotharii Cæſaris ævum produnt. Tertius Codex conſtat libris octo Decretorum. Eſtque fortaſſis Panomia, quæ Ivonis nomine audit : non enim contuli. Ultimus tamen liber octavus habet duntaxat un-

decim capitula : nec occurrunt nomina Pontificum recentiora Paſchalis ſecundi. Habemus præterea Epitomen Canonum Græcam Harmenopuli, κτῆμα olim Leonclavii: adeoque illud ipſum exemplar, unde in Tomum I. Juris Græco-Romani libellus ille tranſiit. Utinam ex horum aliquo posſit quidquam, Eruditisſime Baluzi, cedere in uſus tuos ac proinde & publicos!

De Paderbornenſis Principis Epiſcopi virtute, doctrinâque inuſitatâ, rectè judicas: ideoque quo magis illum tibi conciliem, propediem partem iſtam epiſtolæ illi mittam. Aliquamdiu ditionem ejus, ut tantum non omnem Weſtphaliam, miles pesſimè habuit: ſed jam omnia paulatim redeunt ad priſtinam tranquillitatem. Vellem poſſe illud abs me dici de omnibus armis, quæ hodie infeſtant Chriſtianum orbem! Ut ſanè pax redeat, Deum calidis precibus veneror. Ejusdem tutelæ Te commendo, Optime Baluzi,

Helmſtadii 24. April. 1673.

Tuus ætatem officioſisſimus cultor

H. Conringius.

P.S. Niſi grave fuerit, quæſo attente expendas quæ diſſerui ad Lampadium à pag. 21. ad 34. Scio enim multis videri παράδοξα: forte tamen æquis & doctis judicibus haud improbabuntur: quorum in cenſu Tu mihi es unus inſtar omnium. Brevi accipies judicanda, quæ jam ſub prælo ſudant. Vale.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII.

Illustri Domino

STEPHANO BALUZIO

Tutelensi

HERMANNUS CONRINGIUS

S. P. D.

VIcesimo quarto Aprilis respondi ad Tuas, Illustris Baluzi, quas XIII Kalend. Januarii Tu exarasti, curâ autem Verjusii ego tricesimo Martii nactus fui. Illud responsum meum misi eidem Illi Verjusio; Hasce mittam Paderbornam, & curæ Eximii illius Principis committam, quoniam Verjusii tantùm non perpetua itinera sæpè longius justo morantur nostrum utriusque exspectationes: quia etiam commoda sese offert occasio libellorum aliquid Paderbornam curandi nunc, & nudius tertius inde Antonium Augustinum tuum à Principe accepi. Etsi enim nihil habeam ad manum quod jam perfectum, attamen existimatio ejus quo polles judicii compellit me quasi, etiam intempestivè Tuæ censuræ subjicere mea: saltim uti in tempore fiat si opus fuerit eorum emendatio. Mitto igitur hac vice quicquid est typis excusum mearum cùm Academicarum Antiquitatum, tùm Exercitationum de Republica Imperii Germanici, reliqua imposterum additurus. Obnixè autem rogo, ne graveris non legere duntaxat illa quâ soles judicii acrimonia, sed etiam liberæ tuæ censuræ participem me quam ocissimè facere. Annos amplius viginti est qvum utrumque librum edidi prima vice: etsi igitur mihi non sit integrum, nunc omnia perficere justis numeris, recensionem tamen ita instituere est animus, ne quid enormiter exorbitet. Quam

in

in rem Tu, doctisſime Baluzi, mihi poteris eſſe uſui præ mille aliis lectoribus: quandoquidem rari ſint Antiquitatum, Reipublicæ atque Eccleſiæ gnari, imo paucis ſoleant eſſe illæ alicui curæ, quarum tamen peritia multum mihi laboris peperit. Si meam operam Tu probaveris, fortaſſis poſſit illa aliquando eſſe commodo reſtituendis Imperii rebus, ſi quis Caroli Magni æmulus velit iis manum admovere. Auguſtinus Tuus, etſi illum non niſi quaſi per tranſennam atque errante oculo hactenus luſtrare fuerit conceſſum, perplacet, ut hactenus Tua omnia. Quin igitur Tu, optime Baluzi, jam pergas conſimilem diligentiam Capitularibus expoliendis impendere. Quænam ſit ratio earum, quæ in Bibliotheca Juliâ deliteſcunt, antiquarum Collectionum Canonicarum, niſi fallor, jam accepiſti. Si quid earum deſideraveris, faxo uti nanciſcaris. Vale & me favori magni Mecænatis, Illuſtriſſimi inquam Colberti, perge commendare, niſi forte Martis cura omnem Palladis exiſtimationem exſtinxit.

Tui Illuſtris Domine

Helmſtadii, 13. Junii 1673. *devotiſſimus cultor*

H. Conringius.

XXIV.

Illuſtri Domino

STEPHANO BALUZIO

Tutelenſi

HERMANNUS CONRINGIUS

S. P. D.

POſt eas quas XIII Kal. Januar. proximi anni exaraſti, nihil tuarum accepi, optime Baluzi. Nactus ego illas tuas fui quidem demum 30. Martii: à me tamen iis reſponſum eſt

est jam tum vicesimo quarto Aprilis. Jam antehac verò cùm 23. Febr. tum 5. Martii aliquid ad te dederam. Illas autem tres, nisi fallit memoria, Coloniam misi à Legato Verjusio curandas : cujus frater Abbas coram quia retulit mihi pridem illas Lutetiam perveniſſe, spero equidem rectè tibi esse traditas. Tertio decimo Junii iterum non literas duntaxat, sed etiam partem cùm mearum Exercitationum Academicarum de Republica Imperii Germanici, tum operis de Antiquitatibus Academicis accurato tuo judicio tempestivè censendam, misi Paderbornam, ad literatissimum Principem : qui Nonis Juliis respondit, propediem se destinaturum ad te missum sibi fasciculum. Eapropter haud dubiè etiam hæc jam venerunt in tuas manus. Recenseo autem hæc non exprobrandi tibi silentium animo, sed tantùm ut intelligas, post tantum intervallum avidè me vicissim tuas desiderare. Et verò cumprimis tenet me exspectatio promissæ pridem censuræ tuæ eorum librorum, quos anno superiore per Verjusium curavi, rectèque non tu minus quam Capellanus noster jam mense Januario accepisti. Exopto verò jam mihi & ultimorum, quæ dixi celsissimo Principi Paderbornensi commissa, doctum judicium tuum. Utinam tandem aliquando voti fiam compos! Nec enim obstare arbitror valetudinem, quo minus more solito promptè respondeas : quia Capellani nostri postremæ & recentes satis nihil siniſtri memoraverunt. De constantia quoque affectus erga me tui dubitare nefas arbitror. Causam diuturnioris silentii existimo esse viarum incerta, omnia turbantibus infestis armis. Etiam verò mihi jam intercepta est commoditas aliquid mittendi per Verjusium, ex quo ille Coloniâ relictâ Berolinum commigravit, in aula Brandenburgici Electo-

Digitized by Google

ris impoſterum, donec pax omnino fuerit compoſita, juſſu Regio commoraturus. Eoque haſce nunc mittet aula noſtra Brunſvicenſis poſtæ, quam vocant, miniſterio: quâ ſi & tu velis uti, rectè omninò curabit Beckius Principum meorum Lutetiæ degens Agens perpetuus, Capellano noſtro haud ignotus, modò literis haud prolixis res poſſit expediri. Fortè tamen haud deeſt tibi Coloniæ, etiamſi Verjuſius diſceſſerit, in comitatu Regiorum Legatorum qui utrique noſtrum literis curandis rem velit gratam facere. Sed & utrique noſtrum libentiſſime beneficum ſeſe præbebit Paderbornenſis Princeps. Huic partem Epiſtolæ tuæ quam XIII. Kalend. Jan. exaraſti, cum miſiſſem, ſimulque aurem vellicaſſem quaſi de illuſtriſſimi Marca imagine, dono tuo, & monumentis Paderbornenſibus tibi mittendis, hiſce verbis mihi reſponſum eſt. *Legi cum voluptate transmiſſas paginas Antiquitatum Academicarum, & per eum qui binas mihi epiſtolas tuas reddidit, mitto ad te imaginem Archiepiſcopi de Marca à Baluzio promiſſam, ad quem etiam faſciculum tuum propediem deſtinabo. Is Monumenta mea jam poſſidet, & pluris merito mea videtur æſtimare. De ejus Epiſtolii parte mecum communicata gratias tibi habeo, optoq; ut porro ejus viri amicitiam ac memoriam mihi conſerves atq; cuſtodias.* Cum acceperim itaque jam deſideratam pridem Marcæ imaginem, gratias tibi pro dono habeo; etſi ſcripta Marcæ longè mihi potiora ſint, ceu imaginem animi virtute atque doctrinâ excultiſſimi, reverentia. Peccem verò in te, optime Baluzi, ſi ſtudeam conſervare apud te Principum noſtrorum longè doctiſſimi memoriam: præſertim quia illam Monumenta etiam Paderbornenſia æternam effecerunt, jamque etiam ab aliis apud vos colitur ille, ex quo innotuit; quod ſane Epinicium Ludovico Regi dictum

dictum noſtrique inſcriptum nomini Caroli de la Rue, eximii ſanè poëtæ, luculentè teſtatur. Quin tu potius memoriam mei conſerves atque cuſtodias in animo Illuſtriſſimi Mæcenatis Colberti, quanquam Regiæ munificentiæ in me aliosque fontes videantur jam exareſcere. Si intellexero haud ægrè acceptum iri, ſcribam illi nonnulla quæ forte uſibus Regiis haud ſint incommoda. Tu verò clariſſime Baluzi vale & perge favere

Helmſtadii 10. Auguſt. 1673.

Tibi deditiſſimo

Conringio

XXV.

Clariſſimo doctiſſimoque Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS

Tutelenſis

S. P. D.

IN ſumma literarum tuarum exſpectatione, Conringi Vir clariſſime, redditæ mihi ſunt nuper quas ad me dediſti VI Kal. Februarii & III Nonas Martii, noviſſimè autem eæ quas ſcripſeras VIII Kal. Maji; ad quas antequam reſpondeam, oportet primùm me tibi gratias agere pro libris tuis ad me miſſis, quos verò Vir illuſtris Verjuſius ad me bona fide & ea maxima quâ fieri inter tumultus bellicos potuit diligentia perferri curavit, unaque illos quos bibliothecæ Colbertinæ deſtinaveras. Majores tamen tibi gratias debeo pro honorifica mei mentione facta in Annotatis ad Lampadium & in cenſura diplomatis Lindavienſis; ubi me eo etiam honore dignatus es, ut meam de hoc argumento ad te ſcriptam epiſtolam illic edi-

deris, tanquam isto testimonio confirmatam putares sententiam tuam de falsitate diplomatis. Legi tuum illud opus summa cum voluptate, propter multiplicem eruditionis copiam, & quia semper & ubique præ te fers studium veritatis adversus fraudes & technas mali ævi. Gavisus autem magnopere sum, cum legi testimonium à te in pagina XII. redditum ingentibus Ferdinandi Episcopi & Principis Paderbornensis virtutibus, quem jure meritoque vocas summum seculi nostri ornamentum, præcipuè autem Germaniæ vestræ. Vellem sanè ut omnes Episcopi Ferdinando similes essent, otiumque suum, quod inprimis debent curando gregi, bonis etiam literis concederent, hoc est, meminissent se Episcopos esse. Sed quandoquidem aliis occupationibus se tribuere malunt quam studiis literarum, utantur libero arbitrio suo; nos Ferdinandum admiremur, colamus, imitemur pro virium nostrarum modulo. Accidit & illud gloriæ excellentissimi Viri, quod illustrissimus Colbertus imaginem ejus, quam is ad me miserat anno superiore, in bibliotheca sua reponi voluit in conspicuo loco, & quidem nulla socia imagine adhibita. Nullæ enim virorum illustrium imagines in ista bibliotheca habentur præter illam de qua nunc agitur. Ut vel hinc intelligant vestri Germani, Gallos non detrectare virtutes hominum Germanorum.

In pag 190. ais tibi non probari sententiam meam de Archicapellano, quem in notis ad Agobardum monueram dictum olim sacri palatii Archiepiscopum, aisque tibi istud nondum esse persuasum si Archicapellanus non nisi Episcopus esset. Ego, mi Conringi, simpliciter scripseram quod in præfatione Concilii Moguntiaci scriptum videram de Hildebaldo Colonienſi Archiepiscopo, ubi ipse se vocat sacri palatii Archiepiscopum in omnibus quæ hactenus prodierunt istius Concilii editionibus. Quod sufficere mihi potest ad firmandam scriptionem hanc meam.

Neq;

Neque enim ſatisfacit quod ais videri mendoſum id eſſe, reponendumque ita ut legatur Hildebaldus Archiepiſcopus Colonienſis & ſacri palatii Capellanus. *Nam præterquam quod huic tuæ conjecturæ omnes editiones repugnant, & quod tu nullum veterem librum manuſcriptum laudas tuæ emendationis auctorem, patet ex præfatione illa Concilii Moguntiaci Epiſcopos qui ei interfuerunt, non feciſſe mentionem ſedium ſuarum, nominaque tantùm ſua poſuiſſe, nota videlicet Principi ad quem ſcribebant. Sed præterea notiſſimum eſt Angilramnum Epiſcopum Metenſem, qui ſacri palatii Archicapellanus fuit ante Hildebaldum, vocari Archiepiſcopum in capite LV Concilii Francofordienſis, & apud Alcuinum in epiſtola LXXIX. ad Uſualdum. Hæc ſunt verba Alcuini:* Nam olim per Angilramnum Archiepiſcopum & Sanctæ Capellæ Primicerium me ipſum veſtræ commendavi Sanctitati. *Quin & in veteribus chartis monaſterii Sancti Arnulphi Metenſis, ut in hiſtoria Epiſcoporum Metenſium narrat Epiſcopus Madaurenſis, diſerte nominatur* Angelramus Archiepiſcopus & Palatii Capellanus. *Denique Drogo Metenſis Epiſcopus, qui poſt Angilramnum in ea cathedra ſedit, frequenter vocatur Archiepiſcopus in annalibus & actis illorum temporum, quod nullo negotio poſſet oſtendi. Idem in apologetico Ebbonis Archiepiſcopi Remenſis dicitur Archipalatinus Præſul in tomo ſeptimo Spicilegii Dacherianipag. 179. id eſt, Archipræſul palatinus. Deniq; veteres chartæ Gonzienſis monaſterii à Chiffletio relatæ in vindiciis Hiſpanicis pag. 16. eum vocant Archiepiſcopum & ſacri palatii Capellanum; ſeu veræ illæ ſint, ſeu falſæ. Nam David Blondellus contendit illas eſſe ſuppoſititias. Attamen Chrodegangus Epiſcopus Metenſis, qui ſub Pippino Rege floruit, vocatur etiam Archiepiſcopus, tametſi nullibi legatur fuiſſe ſacri palatii Archica-*

chicapellanus. Atque hunc titulum ei tributum fuisse à Stephano III. Romano Pontifice, cum ei Pallium traderet, docet manifestissimis verbis Anastasius Bibliothecarius, qui dignitatem illam cum concessione Pallii conjunctam fuisse satis innuit. Dum in Francia esset positus, *inquit*, Rodigango sanctissimo Viro Episcopo Pallium tribuit & Archiepiscopum ordinavit. *Quod confirmari posse videtur ex fragmento Chronici Sancti Crudonis edito in Historia Episcoporum Metensium pag. 276. ubi occasione Pallii concessi à Walone Episcopo Metensi à Joanne VIII. auctor ait*: Ex cujus rei enarratione liquet ex qua caussa præfati Metenses Episcopi (*id est, Urbitius, Chrodegangus, Angilramnus & Drogo, qui Pallio ornati fuerant à Romanis Pontificibus*) nomine Archiepiscoporum intitulati leguntur. *Quod etiam notatum est ab Auberto Miræo in Chronico Belgico ad annum* DCCCXLIV. *Eandem ob causam Theodulfus Aurelianensis Episcopus vocatur Archiepiscopus in Præcepto Ludovici Pii pro Ecclesia Aurelianensi, ut observatum à me est in præfatione ad dialogos Antonii Augustini de emendatione Gratiani. Unde colligi posse videtur Episcopos qui fuere sacri palatii Archicapellani, quique eodem tempore vocati sunt etiam Archiepiscopi, non ideo Archiepiscopos dictos quod essent Archicapellani, sed quia Archiepiscopi titulo & nomine donati fuerunt à Romanis Pontificibus cum traditione Pallii; præsertim cum videamus Ebroinum Episcopum Pictaviensem, qui sub Carolo Calvo Archicapellanus fuit sacri palatii, quiq; in Concilio Vernensi præsedit supra Wenionem Archiepiscopum Senonensem, simpliciter Episcopum vocari ubique, nunquam Archiepiscopum.*

Vides, eruditissime Vir, non dissimulare me argumenta quæ adferri possunt adversus id quod à me scriptum est, adeoque

què agere mè bona fide. Hæc tamen omnia nullatenus præjudicant adversus scriptionem meam. Tametsi enim videam Hildebaldum se vocare sacri palatii Archiepiscopum, Drogonem verò Archipalatinum Præsulem sive Archipræsulem Palatinum, non disputo tamen an ea appellatio illis obvenerit ob dignitatem palatinam, an verò ab externa quadam potentia. Mihi satis est quod, dum munere illo ornabantur, sacri palatii Archiepiscopi, &, quod idem est, Archipræsules dicebantur. Neque enim dixi id constanter ac perpetuò observatum esse ut Archicapellanus vocaretur Archiepiscopus. Hæc ad te, Vir clarissime, scribenda esse putavi, ut apertior tibi esset mea mens, neque amplius tenearis suspensus. Redeo nunc ad epistolas tuas. Ac primum quidem ut ad id respondeam quod pertinet ad gloriam invictissimi Regis nostri literarum ac literatorum patroni, dona quæ ille tribuere consvevit hominibus eruditis, etiam inter immensos gravissimi belli sumptus largietur, quæ pro anno præterito destinaverat, ut antea solebat; jamque perscripta ea de re sunt diplomata; inter quæ & tuum vidi, Vir eruditissime. Itaque certus esse potes de munificentia regia. Dubium nulli esse potest quin is, pro sua in Deum pietate & in Ecclesiam amore, operam suam lubenter conlaturus sit ad sarciendam Ecclesiæ concordiam, si sese occasio favorabilis offerat. Scripta tamen illa quæ apud vos circumferuntur, non arbitror profecta ab auctoritate ejus. Utinam hinc Viri principes & magnates excitentur ad integrandas scissæ religionis res!

Legi, prout optaveras, epistolas quas de eo fermè argumento scripsisti, octavam nimirum, XXXI. LVII & LXI. in quibus deprehendi sanè plurima laude digna & consilium pacis studiosissimum. Sed homines sumus, mi Conringi. Itaque mirum non est si interdum nimio pacis studio bellum facis.

facis. Dandum est aliquid affectibus humanis. Etiam viri sanctissimi & sapientissimi peccaverunt aliquando in hac parte, bono quidem animo, ut existimandum est, sed parum felici successu. Ita nunc omnia exasperata sunt, ut vix agi possit de controversiis religionis, quin statim ab utraque prosiliatur ad contentiones & jurgia. Dabit Deus his quoque finem. Nam si huc descendere possemus ut amica collatione &, quod est in hac causa præcipuum, bona fide res istæ tractarentur, non dubito quin facile res ad concordiam adduci possent.

Moderatiora tamen sunt quæ adnotas ad Lampadium à pag. 21. usque ad 34. Neque est quod hèic mihi displiceat præter paucas opiniones vestras, quæ nobis Catholicis placere non possunt. Si Deus hunc tibi ardorem aliquando inspiraverit, ut fidei majorum tuorum te reddas, spero sanctam Ecclesiam plurimum utilitatis capturam ex lucubrationibus tuis, quæ plurimum habent boni saporis.

Puto te jamdiu habere dialogos Antonii Augustini de emendatione Gratiani, quos ad illustrissimum Episcopum Paderbornensem misi tibi tradendos cum imagine optimi Patroni mei Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis, ille vero ad me rescripsit cuncta ad te missa esse. Audio præfationem meam non admodum probari Romanis ingeniis. Egò tamen verè dicere possum nihil hèic à me scriptum esse malo animo aut libidine detrahendi, ut illic admonui. Utor jure quod publicum esse voluerunt ultima secula. Neque enim ea arrogantia imbutus sum ut me sapientiorem putem his qui ante me fuerunt. Istud tamen non vetat quin pro studio veritatis inquirere possim in historiam veterum temporum; præsertim ubi id fit citra contentionem, & servata reverentia quæ debetur summis potestatibus. Si quid adversum me tempestatis excitatum propterea fuerit, silentio tegam quæ infecta vellem, uti jam à me factum

factum est occasione sententiæ quæ lata est adversus primam editionem meam librorum de concordia sacerdotii & imperii.

Intelligo veteres codices bibliothecæ vestræ, in quibus collectiones canonum ac decretorum continentur, posse esse optimos. Verum his uti me impossibile est, quia fieri non potest ut ego illos evolvam oculis meis. Aliter autem nihil fieri potest: Abundat Gallia nostra collectionibus hujusmodi, quarum aliæ ex aliis utplurimum desumptæ sunt, præcipuè verò ex Juone Carnotensi. Rectè porrò judicas tertium illum codicem bibliothecæ vestræ, qui dividitur in octo libros, esse pannormiam ejusdem Juonis.

Vale Vir optime & eruditissime, & me semper ama Conringici nominis studiosissimum. Lutetiæ Parisiorum VII Kal. Augusti M DC LXXIII.

XXVI.

Illustri Domino

STEPHANO BALUZIO

Tutelensi

HERMANNUS CONRINGIUS

S. P. D.

TAndem à tuâ manu aliquid accepi Illustris Baluzi; quod nempe VII Kal. Augusti dedisti, rectè curavit Illustr. Verjusius. Non tamen iis respondisti quidquam ad illa, quæ XIII Junii & X Augusti â me sunt exarata: quorum prius cum adjunctis chartis Celsissimus Paderbornensium Princeps, posterius aula nostra curandum suscepit, ac proinde saltim nunc utrumque esse redditum, haud equidem dubito. In tuis nihil non fuit pergratum; nihil autem acceptius docta censura meorum libellorum.

Digitized by Google

Nec vero non poteſt mihi ſvaviſſimum eſſe, tuo accurato & candido judicio ſaltim plæraque mea ſeſe probaſſe. Sed & illa, quæ obſervaſti de Archiepiſcopi cognomento attributo etiam illis Palatinis qui duntaxat Epiſcopalis fuerunt ordinis, ingenuè fateris, haud evincere, datum illud olim ratione Palatinæ dignitatis, ſed forte reſpectu pallii, Palatinorum illorum Epiſcoporum uni atque alteri â Papis conceſſi extra ordinem. Et verò in omnibus quæ adfers accuratè ſemper Palatinus Capellanatus ſeorſim notatur ab Archiepiſcopali nomine. Plus ſatis verò mihi eſt etiam, ſaltim animum pacis Eccleſiaſticæ cupidum tibi placere, etſi ſententias omnes meas haud admittas. Etenim nec ab ipſo O. M. DEO aliud mihi expeto, conſcius humanæ tenuitatis meæ ab erroribus neutiquam immunis, quorum veniam tamen ab indulgentiâ dominicâ, fretus ſanctiſſimis promiſſis, non dubito mihi polliceri. *Majorum* apud me magna eſt reverentia: ſed per πατροπαραδόσεις infidum eſſe ad veritatem & DEO placentem religionem iter, tibi etiam, optime Baluzi, eſt notiſſimum. Ego me tuis precibus commendo apud DEUM: idem amicitiæ officium tibi optima fide viciſſim præſtiturus. Pro imagine Illuſtriſſimi doctiſſimique Archiepiſcopi de Marca, ut & Antonii Auguſtini libro, habeo iterum gratias maximas. Imagini locum dedi ſuum inter eas, quas virtutis & doctrinæ nomine facio maximi: præſertim quia ſimul inſignem præ ſe fert animi integritatem τὸ πρωτοτύπως. Quæ ad Auguſtinum ſive præfatus es ſive annotaſti, illa non mihi duntaxat, ſed & aliis hujus loci eruditiſſimis quibusque, ſupra quam credideris, placent. *Romanis ingeniis non admodum probari*, haud miror. Veritas odium parit. Bene verò eſt quod pridem aſſveveris ſpernere

Digitized by Google

nere non voculas duntaxat illorum hominum, ſed *excitatas* etiam ab iis *tempeſtates* in Tarpeja arce, ſat DEO felix amico. Quam mihi laudem tribuiſti in Notis, haud equidem mereor: agnoſco tamen & amo propenſum in me affectum. Juſto autem abs Te pretio æſtimari, imò & ab Illuſtriſſimo Colberto, Paderbornenſem noſtrum, id verò etiam atque etiam gaudeo. Mittam primâ occaſione Celſiſſimo illi Principi verba tua, perinde atque noviſſimis meis inſerui ad Te illa, quibus Noſtræ illud Germaniæ ſacrum decus te eſt proſecutum. Ludovicum Maximum etiam inter arma non deſinere munificentiam priſtinam exercere erga Palladios alumnos, ſuperat ſanè ut exſpectationem ita & laudationem meam. Et verò ut plurima alia, ita etiam hoc eſt ſine exemplo. Quod mihi â ſanctâ illâ & forti manu eſt deſtinatum, optarim equidem adjungi iis quæ Illuſtr. Verjuſio mittentur: quia & in vicinia vivit ille, & de Reipubl. negociis frequentiſſimum mihi cum illo literarium commercium eſt. Ut proinde & meas ille res curare poſſit citra invidiam malevolorum, ſecureque. Rem ſanè feceris gratiſſimam ſi Illuſtriſſimo Mecœnati Colberto hoc perſvaſeris. Si porrò jam tum nactus fueris mearum de Rep. Imperii Germanici Exercitationum, ut & libri de Antiquitatibus Academicis, quas Celſiſſimus Paderbornenſis noſter ſeſe curaturum ſuſcepit, chartas, iterum rogo, ne graveris iis horas aliquas vacuas impendere. Cumprimis tamen deſidero, abs te cum cura aliqua legi & expendi, quæ jam eduntur de conſtitutione Epiſcoporum: ſed video in manus illa tuas haud perventura prius quam libro ultima fuerit manus impoſita. Id quod cum futurum ſit propediem, fruſtra etiam fortè exſpecto cenſuram tuam eorum quæ jam tum miſi, etſi

Digitized by Google

nullam magis mihi exoptaverim. Sed ferendum est, quod mutari non potest. DEUM obsecro, uti & publico & meo bono te, optime Baluzi, diu sopitet.

XI Septembr. 1673.

XVII.

Illustri Viro

STEPHANO BALUZIO

Tutelensi

HERMAN. CONRINGIUS.

S. P. D.

QUas ad tuas VII. Kalend. Aug. exaratas ego XI. Sept. reposui, spero pridem rectè esse traditas, per Ducum nostrorum Parisiensem quem vocant Residentem Beckium. Silentium tuum non animi quidem mutati vel levissimam suspicionem movet, metum tamen aliquem incutit minus benignæ valetudinis. Fortassis autem ad scribendum tardiorem te etiam facit illa proximo autumno adversus Christianissimum Regem ex Germania nostra Belgioque Hispanico insperatò exorta plena periculi tempestas: nam & mihi illa subinde calamum manu excutit, & optatam studiorum quietem perturbat. Nec vero dubito etiam te mecum sentire; pacem cum Batavis potuisse æternâ cum maximi Regis laude pariter & commodo statim post tot urbium inusitatæ felicitatis occupationem componi, nunc autem periculum esse, ne sine ullo operæ pretio non illa duntaxat sed alia quoque quam multa pereant. Pro solatio mihi est, quod annus proximus pacem sit redditurus. Id sanè polliceri me facit illa, quæ partis omnes urget,

urget, quantum arbitror, pecuniæ in bellicos usus necessariæ penuria. Nec enim nos fugit, cessantibus potissimis etiam Galliæ commerciis, quæ ærarii sit ratio, populo vestro penitus tributis & delectibus exhausto. Ea equidem de causa conjicio, & decollare spem quam feceras Regiæ hoc etiam anno in literatorium ordinem, atque adeo & me, perrecturæ munificentiæ: non enim vel obulus advenit saltim hactenus. Quicquid hujus sit, equidem DEUM pergam calidis precibus venerari, uti reddere Europæ velit pristinam tranquillitatem, turbatis omnibus belli improbis solique dominantium ambitioni velificantibus consiliis. Utrum nactus sis per Paderbornensem nostrum Principem chartas meas cum libri de Rep. Imperii Germ. tum Academicarum Antiquitatum, etiamnum ignoro. Priori operi jam manum ultimam admoveo, tuasque animadversiones unice desidero, eoque circumspicio exspectoque commodam mittendi occasionem. Propediem & alterum denuo aggrediar. Rogo autem, saltim ulterius ne me crucies silentio. Sufficient sane si significaveris, & Illustrissimum Colbertum & Te cum valetudine tum erga me benevolentia esse integra. Deus te servet, Optime Baluzi, in annos plurimos: sicut mihi concedit jam agere annum ætatis sexagesimum octavum.

XIV Decembr. 1673.

XXIIX.

Clarissimo doctissimoque Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS

Tutelensis

S. P. D.

ACcepi binas literas tuas datas XI mensis Septembris & XIV. Decembris, quas mihi Beckius vester tradi curavit.

Digitized by Google

vit. Rectè autem existimas, vir optime, silentium erga te meum non ex animi mei mutatione profectum esse, cum noveris me tibi pollicitum esse observantiam in te meam æternam fore. Sed partim occasione istius gravissimi belli, tum propter occupationes meas, factum est, ut negligentior paulò fuerim quam oportuit. Inter occupationes porrò meas numero inprimis editionem, quam paro, Capitularium Regum Francorum; ut vidisse te scio ex brevi præfatione mea ad eruditos, cujus exemplum tibi tradendum missum est ad Verjusium, is vero tibi traditum fuisse ad me rescripsit. Tot enim undique ad me veniunt eorum veterum exemplaria manuscripta, ut vix mihi ipse sufficiam. Certè tempus non sufficit. Spero autem editionem cœptum iri mense Junio proximo. Cum primum absoluta ea fuerit, unum ejus exemplar ad Te perferri curabo; in quo videbis me tuis lucubrationibus frequenter usum fuisse.

Delectavit me admodum illa literarum tuarum pars, in qua me doces præfationem & Notas meas ad Antonium Augustinum & Gratianum placuisse vestris hominibus, hominibus inquam, eruditissimis Academiæ vestræ. Faxit Deus ut præter aliquam voluptatem quam ex his percipere possunt lectores, etiam bonos fructus colligant. Quanquam audio reprobatam fuisse præfationem ab iis qui Romæ curam gerunt configendorum librorum, & in numerum prohibitorum relatam, repugnantibus licet Eminentissimis Cardinalibus Bona & Estræo, qui pervicerunt, ne nomen meum publicè ederetur in Decreto Sacræ Congregationis per typographos vulgato. Hæc mihi merces tribuitur investigatæ veritatis.

Nondum accepi quos ad me mittis libros de Republica Imperii Germanici & de Antiquitatibus Academicis. Præterquam quod autem omnia tua amo, tum inprimis cuperem videre exercitationem de Republica Imperii Germanici, in

quâ

quâ haud dubiè multa occurrent quæ faciant ad institutum meum. Si ea mitteretur ad Simonem Pauli Bibliopolam Argentoratensem, is ad me perferri curaret cum aliis libris quos illum rogavi ut mihi emeret.

Illustrissimus & Celsissimus Princeps Episcopus Paderbornensis ad me misit numisma aureum in consecratione sua cusum, quod ego pro magno munere accepi; non quia aureum est, sed quia propensum Celsissimi Principis erga me animum ostendit, & aliquo me apud eum in pretio esse. Volui autem etiam hanc partem felicitatis meæ tecum communicare.

Honorarium quo te singulis annis prosequi solet Rex noster, Vir eruditissime, tibi non deerit. Perscriptum ea de re est diploma, ut ad te jamdiu scripsi, & ei traditum qui pecuniam numeraturus est. Is verò ad te primo quoque tempore perferri curabit. Neque tarditas illius accusanda est, tametsi enim diplomata jampridem confecta & subscripta sint, serò tamen de numeranda pecunia imperatum est. Vale Vir eruditissime & optime, & me semper ama. Lutetiæ Parisiorum Idibus Februarii MDCLXXIV.

XXIX.

Illustris Domine.

PLurimum me exhilaravit cis triduum Illustr. Verjusius, misis literis quas Eid. Febr. dedisti: ultimæ enim Tuæ scriptæ fuerant VII. Kal. Augusti, nec à Tua manu ex illo usq; tempore quidquam ad me pervenit præter illam plagulam unicam, qua editionem Capitularium Francicorum orbi, adeoque seorsim & mihi, promisisti. Perjucundæ porrò fuerunt mihi ipsæmet hæ literæ tuæ, idque cum aliis plurimis nominibus, tum quod certum me red-

me reddiderint de constantia Tuæ erga me benevolentiæ: quam ut perpetuam esse velis, etiam atque etiam rogo. Illud tamen dolet, quod ne hactenus quidem acceperis fasciculum quem XIII Junii Paderbornam misi, ut nec literas X Augusti isthuc missas: quorum citò curandorum spem fecerat Princeps: indubiè autem fuit impeditus hoc agere Optimus Princeps molestis reipublicæ negotiis, & Cæsarei militis in terris illius gravi hospitatione hyberna, quâ tantum non omnia ibi miserè exhauriuntur & rediguntur ad incitas. Benè verò est, quod illas saltim quas ego XI Septembr. & XIV Decembr. Aulæ nostræ curandas commiseram, rectè acceperis. Et sanè ex responso Tuo non sine singulari lætitia vicissim cognovi, feliciter Te nunc versari in recensione Capitularium: præsertim quia novæ editionis Tuæ jam tum accensum mihi erat desiderium, cùm alias gnaro inusitatæ tuæ diligentiæ, tum edocto per eam quam publicasti plagulam, raræ in conquirendis multis exemplaribus Tuæ felicitatis. Ego cùm non habeam quo Te adjuvem aliud, saltim Deum oro, ut largiatur Tibi ad utilissimum opus perficiendum, firmam valetudinem & fortem animum. Utroq; enim Tibi opus fore arbitror; & posteriore quidem, quia præsagit animus, etiam hanc operam Tuam Censuræ illi iniquæ Romanæ futuram obnoxiam. Laudanda nimirum Tibi veniet Carolovingicorum Regum circa res Ecclesiasticas impensa curatio: quæ hodie Romanæ sacræ monarchiæ summè est invisa & improbata. Dicenda Tibi multa venient de Ecclesiæ Regimine, quale tunc fuit, multis modis ab hodiernis placitis Romanis diversum, Et verò alia facile ferat curia; quæ monarchiam verò tangunt, in iis est inexorabilis erga eos quos non metuit, etsi dissimulet iram si præpotentes adversen-

versentur. Eoque nonnihil meliora & clementiora etiam speraverim, si Tuis illis Capitularibus Privilegium aliquod Christianissimi Regis addideris, ut jam tum Tuæ illi plagulæ sacrosancta lilia præfixisti. Non minus sanè hæc valebunt mitigandæ Curiæ, atque solet dæmonum sævitiam frangere crucis signaculum. Utcunque verò res ceciderit, non est quod illa Te cura mordeat. Quin Tu *contra audentior ito*, conscius bonæ mentis, & certus præmii divini ob vindicatam veritatem. Hæc sacra aliter non constant. Cœterùm, quamvis velim, ad hoc opus Tuum, ceu jam tùm sæpius significavi, conferre, nihil equidem hactenus valeo. Video etiam illo non esse opus, cùm jam tum adminiculis sis instructissimus. Si quid tamen re adhuc integra inciderit in manus, non equidem invidebo.

Romanum fulmen in Præfationem Tuam haud dubito abs te sperni; quum & prævisum fuerit, & jam tum spernere bruta illa assueveris. Pridem magni æstimavi Cardinalem Bonam, lectis cum curâ ejus Liturgicis, inque iis justo de Epistolis Pseudo-Isidorianis judicio; nec ignarus, hodie in omni illo Purpuratorum cœtu illum unum edito in publicum scripto aliquo laudem commeritum. Nunc longè majoris facio virum; quod enim à nomine Tuo averruncaverit ignominiosam notam, indicium mihi est eximiæ bonitatis & φιλαληθείας. Ne quid dissimulem, gratulor Tibi, quod jam secunda vice Confessor veritatis in solemni theatro orbis fueris declaratus, idque indubiè intelligentium quorumcunque Tuæ etiam gentis applausu. Longè duriora fuerunt præmia sanctorum martyrum. Erit autem & tua cum illis merces magna in cœlis.

Liber meus Exercitationum Academicarum jam demum integrè in lucem prodiit. In eo plurima continentur

de republica veteri Francorum ætatis Carolinæ, sacrâ pariter ac seculari: quæ vulgò hodie ignorantur quidem & contemnuntur, abs Te autem sciuntur indubiè accuratè, & suo pretio æstimantur. Eoque avidè desidero Te & lectorem & censorem. Mittam librum illum igitur propediem, & quidem eâ quam indicasti ratione, per Simonem Paulum, simulac haud defuerit commoditas ad illum quidquam curandi, quia longè à terris hisce nostris abest Argentoratus. Ab illo missa pridem tibi arbitror Monumenta antiquæ lectionis ibi edita, inque iis deprehensam abs Te partem Ansegisi versam Germanicè, cujus memini libro de Origine Juris Germanici pag. 246.

Sui memoriam aureo aliquo nummo Tibi commendasse Paderbornensem nostrum Principem, etiam ipse gaudeo. Nec verò dubites ab illo magni Te æstimari. Misi illi 8. Novembr. illam literarum tuarum, quas mense Julio dederas, partem, qua significaveras, quanto ipse sit in pretio in ipsa Colbertina Bibliotheca. Iis meis reddidit hæc Nonis Decembribus: *Jam diu nihil literarum è Galliis à Baluzio nostro ad me est allatum, præsentis belli metu infestis itineribus: expecto tamen cistam inde insigni librorum supellectile refertam, quam Parisiis emi jussi. Utinam tandem pax redeat optima rerum & Musis nostris amica!* Hæc tunc ille. Ex eo nihil ab illo accepi, armis & calamitatibus omnia turbantibus. Ego verò idem & sentio & opto cum Eximio illo Principe: eoque quantum potui laboravi sedulò, ne & mei Domini Batavorum aut Cæsareorum hortatu & propositis præmiis inducti nomen itidem darent illis partibus, sed pristinam amplecterentur tranquillitatem, etsi numeroso satis instructi milite. Id quod hactenus feliciter successit: non tamen sine nominis mei obtrectatione & odio. Nunc magis

Digitized by Google

gis ſolito etiam pacem deſidero : dum expendo Vertumni Britannici inconſtantiam,& vereor longè majus malum.

De Honorario Regio conſequendo jam, fateor, deſperavi: haud ignarus videlicet, quantum Marti debeatur. Si præter exſpectationem tamen obtingat mihi bonum illud, feram bona ex parte id Tuæ benevolentiæ acceptum. Pridem enim & Capellanus noſter ſpem omnem deponere juſſerat. Illum optimum meum Patronum accepi apoplexia correptum, mox in lethalem morbum incidiſſe, & fortaſſis jam defunctum. Quod ſi adhuc ſuperſtes fuerit,quæſo cures illi tradi brevem hanc epiſtolam. Nunquam ſanè excidet animo grata Viri illius memoria. Deus Te in ſeram ſenectutem ſervet publico literarum bono. Ego maneo

Illuſtris Domine

Helmſtadii, 3. Martii 1674.

dum vixero
Tuus omni obſequio
Hermannus Conringius.

P. S.

Dum non adeò pridem inſpicio mappas Chorographicas, ejus tractus qui eſt circa Moguntiam & Oppenheimium Germaniæ quondam ſecundæ, forte fortuna deprehendi luculenta veſtigia nominum, Bodeheim, Windelheim, & Saleheim; in quibus locis fertur olim condita Lex Salica. Et verò illas terras primus Francici juris fecit Pharamundus Rex. Ideoque muto ſententiam de Legis Salicæ primis natalibus TransRhenanis: præſertim cùm & antiqua monumenta doceant,conditam Legem illam in Germania, quo nomine κατ' ἐξοχήν audivit Cisrhenana in ſolo Gallico, ſequioribus Romani Imperii ætatibus.

Digitized by Google

XXX.

Illuſtris Domine

AD ea quæ Eidib. Februarii dediſti, Baluzi fautorum optime, reſponſum meum 3. Martii miſi Illuſtri Verjuſio. Jam Francofurtum mitto bina exempla mearum de Rep. Imperii Germanici Academicarum Exercitationum, alterum Illuſtriſſimi Colberti, alterum tuæ Bibliothecæ, ſi fas videatur, inſerendum. Francofurti autem Simonem Paulum rectè faſciculum hunc nacturum & porrò curaturum Lutetiam proximis nundinis, equidem haud dubito. Utinam iſthoc in libro deprehendas nonnihil quod placeat! Equidem pridem credidi, ut ad notitiam plenam cujuslibet ſingularis reipublicæ pertinet ab omni retro memoria quævis repetere: ita etiam noſtrâ intereſſe rerum Germanicarum ſtatum ab antiquiſſimis quibusque monumentis ad hæc tempora deducere. Eoque dedi operam, quæ Cæſar Tacitus aliique veterum de Germaniæ populorum republica tradiderunt, cumprimis verò quæ de ſtatu regiminis Francorum à ſequioris ævi ſcriptoribus ſunt prodita, cum aliqua cura ad res Imperii noſtras transferre. Etſi enim multa mutaverint, multa tamen ſuperant quoque inſtitutorum veterum: ex re autem eſt, etiam quæ mutata ſunt haud ignorare, ut appareant cauſæ mutationum, utque num illa in melius aut deterius verterint, poſſis dijudicare. Obſervabis igitur in omni Exercitationum illarum argumento adducta etiam illa, quæ olim in Francorum Republica Carolinæ præcipue tempeſtatis obtinuerunt; quia ſcilicet Imperium noſtrum illius Francici Carolini nobiliſſimam atque ampliſſimam partem continet. Non omnia pro dignitate me exſecutum ultrò agnoſco:

sco: jamdudum autem cepi consilium, singulari libro rempublicam illam Francorum veterem majore cum cura illustrare. Imo pridem hoc egissem, nisi offensam veritus eorum, qui sua omnia, quamvis heri aut nudius tertius instituta, credi volunt antiquissima, abstinuissem manus. Perinde scilicet atque Roma hodie non ferr, quæ tu doces de mutato Ecclesiæ regimine per mentitas Pseudoisidorianas epistolas; credi volens id quod hodie obtinet, ab ipsomet S. Petro profectum esse. Ubi prodierint tamen tua Capitularia, & valetudo atque otium permiserint, fortassis operam illam subibo: si præsertim Tu judicaveris etiam in illis Exercitationibus me Francica isthæc non omninò male aut inutiliter docuisse. Nec verò dubito, novam illam tuam Capitularium editionem hactenus ignorata haud pauca illustraturam. Cumprimis verò lætabor, si calculo tuo saltim plæraque probaveris abs me de Constitutione Episcoporum disputata, ut & ea quæ præmisi isti tractationi Exercitatione septima à §. 9. ad 19. aliquantulum εὐδοξότερα. Avide sanè exspecto censuram Tuam: quippe quæ una mihi erit pro multis: ac proinde ne illam mihi deneges rogo.

Proximè elaboranda mihi erunt, quæ de Antiquitatibus Academicis jam sub prælo versantur. Etsi enim pridem illorum bonam partem misi curâ Principis Paderbornensis ad Te curandam, atque ita hactenus & illorum censuram Tuam me nacturum speravi, quia tamen decollare spem illam video, dum omnia Westphaliæ milite sunt infesta, cogor in edendo pergere rectè monitis tuis etiam hoc in argumento destitutus. Utinam pace constituta liceat literis operari! Vale eruditissime Baluzi & perge favere

Helmstadii, 13 Martii 1674. *Tuo Cultori*

Hermanno Conringio.

P. S.

Digitized by Google

P. S.

Non dubito Capitularibus tuis acceſſurum illud quod ex ſpoliis Heidelbergenſibus eruit Romæ optimus Princeps Furſtenbergius, atque ex Romanis chartis expreſſum libro meo de Origine Juris Germanici continetur. Utrum operæ fuerit pretium addidiſſe & illud, quod nomine *Capitularis Carolini de Villis ſuis* edidi cum Epiſtolis Leonis III. Papæ, nec ipſe dixerim: quia & argumentum eſt tenue & in MSto noſtro abeſt Caroli nomen, tantumque inſcribitur *Capitulare de Villis Imperatoris*. Quid me tamen ſuſpicari fecerit de Carolo auctore, indicavi jam tum pag. 103.

XXXI.

Illuſtris Domine.

QUas ad Tuas Eidibus Febr. datas ego III. Martii exaravi, haud dubiè rectè curavit Berolino Verjuſius. Decimo poſt die Francofurtum, cum aliis meis ad Te literis, miſi exempla bina mearum de Republ. Imperii Germanici Exercitationum, alterum Illuſtriſs. Colberti, alterum Tuæ Bibliothecæ conſecratum: ſpe ductus, in nundinis ſolemnibus etiam Simonem Paulum Argentoratenſem bibliopolam, cui mea iſthæc committere juſſiſti, compariturum, ad quem proinde aliquid etiam dedi literarum. Si illa ſpes haud fefellerit, non dubito etiam illos meos libros rectè curatum iri. Vereor tamen, ne quid diſſimulem, ſaltim moram aliquam injecturas illas, quæ nunc demum præter omnem exſpectationem in Palatinis terris ad Rhenum moventur turbæ: nec enim crediderim fruſtrà omninò fore meum illud conſilium. Tertias haſce ad te dare

dare jubet benevolentia qua prosequor Nobilissimum Juvenem Greiffenkrantzium : quippe cum cujus patre, dum viveret, summa mihi intercesserit amicitia, quemque ipsum aliquamdiu domesticum habuerim convictoremque omnigenæ virtutis nomine longè carissimum. Cum propter magni parentis præclara merita cùm alibi tùm in Ducatu Bremensi, ubi amplissima dignitate Cancellarii functus est, primoribus Regni Sueonum esset acceptus, in comitatum receptus est illorum Illustriss. Legatorum, quibus componendæ Pacis negotium à Rege commissum est. Illi verò tractatus quia (proh dolor!) lentè procedunt & vix spirium ducunt, in Galliam vestram proficisci, eamque, dum adhuc ibi omnia sunt tranquilla, perlustrare, juveni ex re futurum suâ persuasum est. Ut ipsemet ego institutum illud adjuvem, etiam Te atque etiam rogo, ne graveris amicum hunc meum excipere illo quo me prosequeris favore, atque adeò reapse etiam huic ostendere, non in nullo apud te esse pretio preces meas & laudationes. Absque dubio autem facilè tibi est hospiti aditum quoque parare ad Manates aliquot, & qui nunc est instar omnium, Illustrissimum Colbertum, ut & quos in ordine eruditorum venerari dueris fore commodum. De vita Capellani nostri dubius, nihil ad illum nunc dedi : si tamen *vitali adhuc vescitur aura*, quæso efficias, ut quoque Virum illum Illustrem inisere liceat. Quicquid sanè juveni præstiteris, annumerabo ego reliquis tuis beneficiis. Si amisi porrò Capellanum, fac amabo, ut in ejus locum alius mihi amicus succedat, & quidem illa instructus doctrina, cujus me studio dudum novisti. Eripit scilicet mihi passim terrarum mors quamplures, quibuscum hactenus dulce per literas de re literaria fuit commercium : quos brevi fortassis sequar & ego,

ego gravetamen fuerit amicis destitutum mori. Vale Illustris Domine & porrò fave

Nomini Tuo devoto
Hermanno Conringio.

Inciderunt in manus proximis hisce diebus plagulæ aliquot libri, quem Danus nonnemo, Borrichius appellatus, Illustrisimo Colberto ausus fuit inscribere in id, ut Hermeticis meis detrahat suam existimationem. Quæ hactenus vidi, non merentur refutationem, malignitate tamen apta sunt provocare indignationem. Si vacaverit, saltim unum alterumque eorum, quæ homo ille de Chemiæ vetustate & Hermetis Ægyptiorumque præ Græcis eruditione disputavit, cum meis quæso contende; & procul amore judica. Quod si perdere tempus ipse nolis, cura amabo, uti alius quis ingenio & doctrina præstans, qualis est Ægidius Menagius, hoc agat. Nec verò dubito omne hoc Tibi Tuique similibus forensi ritu submittere, certus vestro judicio stare vel cadere. Idem animus est de Chemicis dissertationibus meis; quas idem Zoilus admordet: Si fortè repertus fuerit Lutetiæ qui cum peritia Græcorum medicinæ conjunxerit Chemica: quod nisi fallor fecit G. Patinus.

Helmestadii, 28. Martii
1674.

XXXII.

Illustris Domine.

CUm præter omnem exspectationem hac transiens Illustr. Verjusius facultatem dederit aliquid ad Te curandi; quoniam ipse scilicet recta in Galliam redire constituit; ecce mitto duo exempla operosi indicis nu-

Digitized by Google

nuperrimè confecti, eorum quæ continentur voluminemeo Exercitationum Academicarum deRepublica Imperii Germanici, utrumque addendum Colbertino pariter & Tuo libro. Nonenim dubito, per Simonem Paulum, cui proximis vernalibus nundinis Francofurtenſibus, ceu jusſeras, & libros illos & literas meas ad Te exaratas commiſi, omnia rectè jam pridem eſſe tradita. Utrum curaverit etiam Celſiſſimus Princeps Paderbornenſis plagulas jam ſuperiore anno excuſas operis de Antiquitatibus Academicis, adhuc ignoro, perquam verò deſidero intelligere. Integrum conſtitui proximis autumnalibus Nundinis per Simonem Paulum transmittere : modo Tibi non diſpliceat. Si interea abs Te aliquid reſponſi accepero, erit mihi id longè gratiſſimum. Poterit autem haud incommode fieri, per Beckium Sereniſſimæ Domus Brunſuico-Luneburgicæ Pariſienſem Agentem quem vocant: nec enim crediderim tacturum Te reipublicæ ulcera, ſed ſolam innoxiam rem literariam. Vale autem, & favere perge

Eruditisſime Baluzi

Helmeſtadii 23. Auguſti 1674. *Tuo cultori*

Hermanno Conringio.

XXXIII.

Illuſtris Domine.

IS qui haſce adfert Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Comitis Konigsmarkii ephorus Lutetiâ nihil mihi gratius retulit, quam & vivere Te ac valere. Multum enim me aliquamdiu valetudini Tuæ, quia integer annus ſine liis tuis periit mihi; ut ne quidem ad epiſtolam illam, quam eſimo tertio Auguſti Illuſtris Verjuſius heic loci ſuſce-

M pit

pit curandam adeoque haud dubie rectè est curata , quidquam responsi acceperim. Nunc suspicor, silentii tui causam fuisse tempestatem hanc bellicam, & simul incerta viarum : dum inter ipsos nostros Dominos non bene convenit. Mutasse enim & animum erga me tuum , absit ut suspicer. Saltim Martii furores Minervæ sacra , quibus constat amicitia nostra, nihil attinent. Cæterum ex hoc amico & familiari meo rem omnem spero me intellecturum ; num scilicet liceat vel placeat tibi etiam imposterum uti pristino literarum commercio , quemadmodum item sese habeant Capitularia Tua aliaque magni ingenii tui monumenta, & denique num ausis aut possis aliquid meorum scriptorum recentissimæ fæturæ à manu mea accipere. Rogo verò etiam atque etiam, uti Illustrissimo illi Comiti Juveni, ejusque ephoro, reapse ostendere ne dedigneris , non in nullo hactenus apud Te pretio me fuisse, nostræque amicitiæ saltim memoriam ingratam ne nunc quidem esse. Vale & plurimum salve.

Helmestadii, Kal. Martiis
Anno 1675.

Tui cultor dum vixero
H. Conringius.

XXXIV.

Illustris Domine.

QUamvis iniquæ belligerantium suspiciones vetuerint me literarum aliquid ad Te, Illustris Domine, aliquamdiu dare , rumpere tamen illud silentium me jam facit affectus ille animi & cultus, qui numquam non memoriæ obversatur. Urget quoque desiderium , intelligendi & valetudinem tuam , & fructus ingenii præclarâ doctrinâ eruditi , adeoque numquam non Ecclesiæ & reipublicæ

Digitized by Google

publicæ bono laborantis. Nec verò dubito, pridem lucem vidisse Capitularia; & in aliis æque utilibus vel jam occupatum fuisse Te vel etiamnum occupari. Sed & ita perspecta mihi est Tua erga me benevolentia, ut quamvis ultimæ tuæ literæ fuerint Idibus Februarii ante biennium exaratæ, nequeam mihi siniſtri quidquam de mutato animo persuadere. Ac proinde existimo, etiam Te velle, nihil eorum quæ Tibi evenerunt aut quæ gessisti, abs me ignorari. Ea fiducia fretus rogo, uti ne graveris per hunc eximium juvenem atque amicum meum (si quidem id Tibi liceat) facere me rerum tuarum, ut & num meas de Republica Imperii Germanici Exercitationes & librum de Antiquitatibus Academicis rectè per Simonem Paulum acceperis, certiorem. Spero redituram brevi auream pacem, & restitutum iri commerciorum libertatem inter gentes. Tunc sanè illico transmittam quæ inter hasce bellicas turbas ego potui elaborare: nec minus dabo operam ut Tua quibus careo mihi comparentur. Vale Baluzi optime & perge favere

Helmstadii 27 Martii 1676.

Tuæ eruditionis juste æstimatori

H. Conringio.

XXXV.

Illustris Domine

VIcesimo septimo Martii ultimas meas dedi, Illustris Domine; Cum autem nec ille, qui curandas suscepit, nec Tu quidquam responderis, vereor ne iisse. Itaque mitto nunc earum apographum, saltim intelligas, quam ego & de tua sim valetudine sollicitus,

& literarium commercium noſtrum priſtinum cupidè deſiderem redintegrari. Et vero quæ tunc ſignificavi omnia etiam nunc me ſollicitum habent : quin imò tanto magis jam deteſtor hoc ferale bellum, quanto Pacis negotia præter exſpectationem procraſtinantur, atque ita turbantur ſtudiorum ſacra. Nec tamen interea te feriari ſum certus ; & ego pergo ſubinde aliquid elaborare, & quidem nunc adeo conſcribo, ſive potius recenſeo augeoque quem ante viginti annos conſcripſi librum de Pace perpetua conſervanda inter Imperii ordines religione quamvis diſſidentes ; huic ſubjuncturus alterum De Pace Eccleſiæ : quia mihi nihil magis eſt in animo & voto quam Pax, ut brevi forte hinc diſceſſurum dimittat me Dominus vitæ arbiter in Pace. Quid Tu rerum agas aut moliaris, quæſo, ſaltim huic eximio ac docto juveni amico meo non è multis, indicare ne graveris. Eſt ille gente Oſtfriſius, popularis meus, peritia cumprimis legum civilium excellens, & reliqua eruditione ſimul tinctus, eoque jam Doctoris titulo ornatus, imò etiam mihi arcta junctus neceſſitudine. Quapropter rogo, ita illum velis excipere, ut ipſemet reapſe intelligere poſſit, non vanè me gloriari tua benevolentia, & eum te eſſe, qualem te omnibus bonis ſoleo commendare, pari ſcilicet cum excellente doctrina humanitate. Id quod meus ille in eo deprehendet, ſi tuo ductu luſtrare ipſi liceat Colbertinam Bibliothecam ſi non & Regiam aliasq; Vale Vir optime & favere perge

In Academia Julia XI. Aug. 1676.

Tuæ doctrinæ & virtutis cultori
Hermanno Conringio.

Mecœnati noſtro opto omnia felicia.

XXXVI.

Digitized by Google

XXXVI.

Illuſtris Domine

ET viceſimo ſeptimo Martii & Auguſti undecimo literas ad Te exaravi, Illuſtris Baluzi. Spero utrasque tibi redditas, etſi certiorem me ne illi quidem fecerint, qui curandas ſuſceperunt. Jam addo tertias; quia non dubito ſaltim hunc juvenem probe curaturum, quod ſibi eſt demandatum, præſertim cum ambiat per me benevolentiam tuam ſibi comparare. Et vero is quidem illam meretur ſaltim ſtudio eximiæ ſibi ſacrarum rerum peritiæ nanciſcendæ, quâ in re præ aliis tu poteris ejus deſiderio ſatisfacere, cum inſigni quâ vales eruditione tùm benè de bonis merendi compertâ cupiditate. Non etiam dubito, ultro te hoc acturum: ſimul tamen etiam atque etiam rogo, ut ita hoc agere ne graveris, quo & hic intelligat tuum erga me affectum, atque adeo in mei quoque gratiam aliquid ſibi beneficii contigiſſe. Id quod inter alia abunde præſtabis, ſi aditum ipſi conceſſeris ad Bibliothecam Colbertinam, docuerisq; nonnulla ad Eccleſiæ Gallicanæ hodiernum ſtatum & rem literariam, cum primis tuas operas, pertinentia. Meas curas jam tum ſignificavi prioribus literis & narrabit eas plenius hic juvenis, eoque quidem non eſt neceſſum illas vel verbulo indicare. Utinam tandem aliquando, pace reddita, liceat non frequentiores duntaxat literas mutuo dare, ſed etiam libros noviſime elaboratos mittere! Unicè equidem hoc opto, hoc ſpero, hoc DEUM precor. Tu verò valè, &, quod facis, perge favere

Helmeſtadii XIIX. Septembr. 1676.

Illuſtris eruditionis ac virtutis
Tuæ juſto cultori
Hermanno Conringio.

Digitized by Google

XXXVII.

Illuſtris Domine

COnſtans in me favor hunc quoque juvenem benignitati Tuæ commendare, audacem me facit. Eſt ille Eloquentiæ apud nos Profeſſoris, viri longe eruditisſimi, filius, & doctrina pariter & virtute eximius; poſt peregrinationem Italicam ultimum illius ſui curriculi complementum, ut ita loquar, apud vos conſequi cupidus. Non dubito hunc non minus atque alios à me laudatos experturum perpetuam Tui erga me animi vim propenſionemque. Poteris vero huic & narrare omnia & committere, quæ & ſciri à me & agi deſideras: quoniam ſpero brevi huc rediturum. Ego ſanè jam tum videor me audire, narrantem juvenem res tuas, bono literario vel jam tum proximo biennio impenſas vel propediem impendendas, cumprimis verò bonam valetudinem. Deum autem obſecro uti non hunc duntaxat annum, ſed multos ſecuturos alios felices tibi præſtet

Helmſtadii 4 Jan. 1677.

Tui
obſervantisſimus
Hermannus Conringius.

XXXIIX.

Perilluſtris Domine

QUia bene atque ex voto ſucceſſerunt meæ commendationes, quas hactenus inſtitui, audeo & hoſce tres genere ac doctrina eximios Juvenes patrocinio tuo committere. Eorum unus, quod mirere, natus eſt

est Moscoviæ, patre Archiatro magni Russorum Czaris: qui etsi ad juris disciplinam animum quam maxime applicuerit, fortassis tamen & in historia omni superabit exspectationem tuam. Quicquid beneficii trigæ illi indulseris, mihi illud datum esse existimabo. Poterunt illi, si nec hoc nescire velis, narrare senectutis meæ bona malaque, quodq; pergam etiamnunc in studio benè de publico merendi calamo indefesso. Alterum operum est sacri argumenti, & adhuc versatur sub prælo brevi tamen visurum lucem, quod mihi expresit Capucinus quidam pro novo quodam Antonii Patavini Noveniistico, quem appellant, cultu laborans. Alterum est Paci Civili Germaniæ consecratum, quod mitto, & quidem ut simul illud censuræ Tuæ submittam. Capitularia intelligo tuâ operâ jam tùm esse perfecta, & parari jam omnia ad editionem supplementi Conciliorum. Si hisce hospitibus omnia Tua isthæc narraveris, poteris per illos & ego rerum tuarum fieri certior: quanquam ne quid diffitear, malim ex te ipso isthæc addiscere. Vale Perillustris Domine & perge favere

Helmstadii Anno 1677.
Prid. Kal. Maji

Tuo

Hermanno Conringio.

XXXIX.

Perillustris Domine

ANnus est, Perillustris Domine, quum & literas & libellum eximiis tribus juvenibus committerem ad te deferenda. Illos ex Britannia Lutetiam commigrasse certus quidem sum: curaverint verò commissa nec ne, nondum intellexi. Multo minus aliquid rerum tuarum

rum accepi. Quod poſtremum quam maxime dolet: quia pridem nihil vidi à manu tua profectum, & tamen de favore tuo quidquam ſiniſtri ſuſpicari vetat qua te colo pietas. Ut proinde tuum ſilentium cogar imputare minus benignæ valetudini, quæ meæ quoque ſenectuti eſt gravis, vel ſaltim omne commercium literarium turbantibus bellicis hiſce turbis. Simul verò & vivere Te & valere docueris, mittendique aliquid occaſio ſeſe obtulerit, confeſtim cum reſponſo meo mittam unum alterumque libellum recentiſſimæ fœturæ. Quæſo autem ſimul ſignifices aliquid certi de Capitularium & Conciliorum nova tua editione. Vale & perge favere

Helmeſtadii 1678. prid. Aſcenſ. Domini.

Tuo cultori

Hermanno Conringio.

XL.

Clariſſimo doctiſſimoque Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS

Tutelenſis

S. P. D.

TÆdet me duriſſimi iſtius belli, multis de cauſis, ſed ob illam etiam quod illud interrumpit jucundiſſimum commercium literarum quod inter nos interceſſerat. Antea quidem ſæpe ad te ſcribebam, tu vicisſim frequenter ad me literas dabas, Vir clariſſime. Nunc in diverſum omnia mutata ſunt, & omnino bellum iſtud fuit peſtiferum & exitiale huic noſtro vitæ inſtituto. Accepi tamen aliquot tua epiſtolia, ad quæ reſcribere tandem juvat. Ac primum quidem gratias tibi ago quod

quod nobilissimorum Germanorum amicitias mihi semper concilias. Possunt autem & illi fidem tibi facere humanitatis, quam illis exhibeo, qui tuas ad me literas perferunt. Deinde agam tecum paulisper de Capitularium editione, quæ exeunte anno præterito absoluta est & in publicum emissa. Habebis unum illius exemplar cum primum se occasio offeret mittendi libros ad Celsissimum Principem & Illustrissimum Episcopum Paderbornensem. Hac enim via uti decrevi, ut exemplar tibi destinatum facilius ac tutius veniat in manus tuas. Omnino hæc collectio continet quæcunque pollicitus sum in foliis illis excusis ante editionem, quorum exempla habuisti. Sed multa sunt in appendice actorum veterum adjecta tomo secundo, quæ tua curiositate indigna non sunt, & magnæ utilitatis esse possunt. Videbis usum esse me interdum auctoritate nominis tui, tum etiam humanitatem amicitiamque erga me tuam prædicasse. In hoc nunc sum, ut propediem typographo tradam novam collectionem Conciliorum quam paro, in tria ut minimum volumina divisam. Si quid istius modi habes non editum, vel alicubi noveris extare apud amicos tuos, plurimam â me gratiam inibis, si mecum aut communicaveris aut communicari procuraveris. Interim verò dabo aliquid temporis absolvendæ editioni epistolarum Innocentii III. quæ jamdiu sub prælo sunt, & emendandis novaque editione donandis epistolis sancti Gregorii Papæ Romani, quæ mirum est quantis ac quam enormibus erroribus scateant etiam in emendatissimis editionibus. Accedent notæ nostræ ad loca difficiliora, tum ut emendationum nostrarum rationem reddamus, tum etiam ut sanctissimam beatissimi seculi disciplinam ostendamus nostris hominibus, ut hinc admoniti mutent, quod â recta vivendi ratione deflexit. Magna enim documenta habemus in epistolis doctissimi & optimi Pontificis, magnum sanctitatis exemplar in vita ejus. Vale

Vir clarissime & eruditissime, & me semper ama. Lutetiæ Parisiorum VI. Idus Majas M DC LXXVII.

XLI.

Clarissimo doctissimoque Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS
Tutelensis
S. P. D.

CUm Deus Opt. Max. pacem populo suo tandem dederit post tot turbidæ tempestatis procellas, spero, mi Conringi, literarum inter nos commercium, quod nescio quo fato quieverat, rediturum, adeòq; fruiturum me eximiæ eruditionis tuæ bonis. Audio interim non admodum lubens, nondum ad te pervenisse duo volumina Capitularium quæ pridem ad te misi, simul cum illis quæ ad Illustrissimum & Celsissimum Principem Ferdinandum Furstenbergium Paderbornensem tunc, nunc verò etiam Monasterienſem Episcopum misi; quæ non dubito quin ille, quâ est in literas & earum Professores inclinatione, cum sit præterea amantissimus utriusq; nostrum, quamprimum se dabit occasio, ad te mittat. Ab eo etiam accipies primum Miscellaneorum meorum librum, qui fine superioris anni emissus est in publicum. Secundus nunc absolvitur & ante medium Aprilem exibit. Volo autem te beare, mi Conringi, ut vel hinc intelligas perpetuam in te observantiam meam. In hoc secundo Miscellaneorum meorum libro primum locum occupat liber Firmiani Lactantii de persecutione, cujus mentionem facit Hieronymus, quem docti omnes putabant periisse, repertus in vetustissimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ. Ne putes autem, vir doctissime, ludere me aut

Digitized by Google

aut jocari voluisse, qvum dixi velle me te beare, ecce tibi Synopsin rarissimi operis. Lactantii institutum fuit in eo libro referre miserabiles eorum Imperatorum exitus qvi persecuti sunt Ecclesiam Dei, veluti Neronis, Domitiani, Decii, Valeriani, Diocletiani, & cæterorum usq; ad felicissima tempora magni Constantini. Et eorum quidem historiam leviter perstringit, qvi Diocletiani ævum antecesserunt. Totus autem est in describendo principatu istius successorumq; ejus usq; ad annum Christi CCCXIII. qvo post victum fugatumqve Maximinum pax Ecclesiæ data est à Constantino & Licinio. Docet nos hic liber diem, qvo Diocletianus fuit levatus Imperator, qvo tempore Constantius Chlorus & Galerius Maximianus facti sint Cæsares, initium persecutionis, tempus vicennalium & triumphi qvem Diocletianus egit de Persis, morbum Diocletiani, annum qvo ille & Maximianus Herculius imperium deposuerunt & Severum ac Maximinum cognomento Dariam Cæsares creaverunt.

Hæc enim admodum incerta erant. Initia magni Constantini, in qvibus constituendis adeò gravia sunt certamina inter viros doctos, istbic certissima & apertissima sunt. Jam de crucis signo, quod ostensum est Constantino, qvum id nonnulli in Italia evenisse velint, alii circa Danubium, alii circa Rhenum, quidam etiam in Gallia, jam dubitare non licebit, cum ex ista Lactantii historia certò colligatur ostensum ei fuisse in castris prope Romam pridiè qvam Maxentius victus est, hoc est VII. Kal. Nov. Infinitum esset omnia persequi. Hæc tantum in antecessum ad te scribere volui, ut accendam desiderium, qvo statim ardebis videndi librum ipsum. Tu vide, vir clarissime, an per Argentoratum possim illum ad te mittere, ut quàmprimum accipias. Avidè expecto responsum tuum. Interim vale & me semper ama. Lutetiæ Parisiorum IV Kal. Aprilis M. DC. LXXIX.

Digitized by Google

XLII.

Illustris Domine.

QVum hesterno die Tuæ mihi traderentur à Mehlbomio nostro, langvebam à pridiano animi deliquio: visus autem sum mihi convalescere haud parum ex primo statim Tuarum conspectu, multò magis ex lectione. Et verò ultimam epistolam Idibus Februarii anno septuagesimo quarto exaraveras: ac proinde a manu Tua, Illustris Domine, ultra integrum quinqvennium ego nihil acceperam. Quod pertinax silentium perquam me sollicitum habuit; non quod de animo Tuo benevolo sequius quid fuerim suspicatus, sed quod metuerim Tuæ valetudini; præsertim, quoniam interea temporis etiam ego non semel graviter decubuerim, morbum morbo frequenter excipiente, imò hectico (ut ita loquar) laborem perpetuo affectu, sola morte avellendo, jam agens annum tertium septuagesimum: etsi Tu, nisi fallor, multò sis junior.

Quandoquidem verò in literis nulla fit morbi mentio, aliiqve Lutetiâ reduces complures sanitatem tuam integram narraverunt, commercium nostrum literarium sola haud dubie turbaverunt quinquennalia arma Dominorum nostrorum. Cum plurimis igitur aliis nominibus tum hoc quoque Pax publica me exhilarat, quod imposterum liceat iterum & literis & libris tuis doctissimis frui, adeoqve hoc etiam impensorum abs me plurimorum laborum paci constituendæ longè acceptissimo fructu. Et verò dum auro cariora mihi scripta promittis, jam tum primum pristinæ felicitatis gradum vicissim attigi. Nec enim vel suspicatus sum, quidquam hoc quinquennio abs te esse

esse elaboratum præter Capitularium editionem: etiam hæc verò hactenus heic locorum non comparuit, perinde ut Gallicum nihil bibliopolæ tanti temporis intervallo huc attulerunt. Princeps Furstenbergius postquam bellatori Episcopo in Monasterienſi quoque Principatu successit, minus solito potest studiis vacare: itaqve vereor tardè me accepturum etiam ea quæ per illum mihi destinasti. Neqve Argentorato, nisi ægerrime, huc poterit quidquam a Simone Paulio curari: ita infesta adhuc sunt Germaniæ nostræ itinera omnia. Expeditissima fuerit utrinqve ratio mittendi, per Hamburgum & Rotomagum: si quidem Christianissimi Regis Hamburgensis Residens hanc curam suscipiat. Id quod, nisi fallor, facile ab ipso impetraverit Illustrissimus Colbertus. Si sanè hoc ita fuerit constitutum, etiam ego utar hac commoda ratione, mittamqve & Illustriss. Colberto & Tibi nonnulla cum mea tum aliorum recentissimæ fæturæ, Tua aurea dona saltim æneis compensaturus, in signum observantiæ & gratitudinis. Quæ de Lactantii libello narras, magnum mihi incenderunt desiderium secundi Tui Miscellaneorum voluminis: nec enim ejus vel nomen memoratum forte est nisi ab uno S. Hieronymo, nec iis quæ indicas Chronologicis disfidiis componendis, aut stabiliendæ fidei conspectæ à Constantino crucis, (quæ traditio multis est suspecta hactenus) quidquam magis est idoneum. Ubi nactus fuero volumen illud Tuum, habebit me avidissimum lectorem. In uno meorum videbis Notarum Tuarum ad Agobardum justum encomium. Ubi valetudo faverit, edam hac æstate Politici argumenti libellos duos, alterum de summæ potestatis civilis jure & officio circa religionem, alterum de Notitia singularis Reipublicæ. Posterior haud

fortasſis indignus fuerit, qui conſecretur nomini Delphini Regii: num liceat autem mihi tantum faſtigium adorare, rogo me doceas. Avide ſane deſidero ad hæc omnia mea Tuum reſponſum. Quod poterit quam commodisſime curari Hamburgum ad Regium Reſidentem. Utinam haud grave etiam fuerit tunc nonnihil narrare, de Moralis Jeſuitarum Theologiæ Pariſiis inſtituta cenſura, ut & de bulla Pontificis contra Moliniſtas: quia utriuſqve facta eſt mentio in Novellis hebdomadariis Lutetiæ exaratis. Vale & perge favere Tuo

Helmeſtadii 25. Maji. 1679.

Illuſtris Domine
cultori.
H. Conringio.

XLIII.

Clariſſimo doctiſſimoq; Viro

HERMANNO CONRINGIO

STEPHANUS BALUZIUS

S. P. D

ACcepi ante hos dies epiſtolam tuam datam Helmſtadii die 25. Maji, in cujus ſtatim initio ais, nihil Te literarum â me accepiſſe poſt Idus Februarias anni ſeptuageſimi quarti: Sane bellum illud multum interrupit commercium noſtrum literarium. Reperio tamen me ad Te ſcripſiſſe III. Idus Martias anni MDCLXXV. & VI. Id. Martias MDCLXXVII. Valde a. doleo, mi Conringi, has epiſtolas Tibi non fuiſſe redditas, ſeu propter varios morbos tuos, ſive fortasſis occaſione peſtilentiſſimi belli, quod etiam concordiam literatorum aliquo modo conſcidit. Sed nunc beneficio Regis noſtri verè magni datâ ac ſtabilita pace ſuaviſſima per omnem Europam, tuti jam ſumus libereq; poſſumus reſumere quod intermiſſum eſt.

De

Digitized by Google

De Tomis Capitalarium quos Tibi nondum traditos esse scribis interrogavi his diebus R. P. Verjusium Jesuitam, qui eos meo nomine misit ad Illustrissimum Episcopum Monasterien-sem an ad eum pervenissent. Ille vero respondit existimare se perveniſſe, sed nihil certi habere. Itaq; tum, cum illos accipies simul uti reor, habebis priores duos Miscellaneorum meorum libros, nam illos quoque curavit idem Veriusius. De lucubrationibus quarum editionem moliris, quod ad me scripsisti, mihi gratum fuit audire: sed vellem magis ut ad me rescripsisses confirmatam esse bonam valetudinem, sine quâ studia literarum constare vix possunt. Cum se occasio offer-ret, interrogabo, an Serenissimo Delphino dicare Tibi fas fue-rit notitiam Reipublicæ quam ei destinasti: Interim cura va-letudinem tuam diligenter.

Ego, ut etiam aliquid de meis admisceam, nunc in hoc totus sum ut proximo mense Septembri inchoare possim editio-nem Tomi primi meorum Conciliorum; in quo inter cætera gravissima editurus sum commonitorium à Cœlestino Papa Legatis Apostolicæ Sedis in Orientem proficiscentibus adver-sus Nestorium nondum in lucem emissum, & in quo maximè elucet auctoritas Romani Pontificis in conciliis Ocumenicis. Dabo etiam nonnulla scitu dignissima, in causa Vigilii Papæ quæ nondum prodierunt. Hæc ad Te Vir doctissime. Vale & me semper ama Tui studiosissimum. Lutetiæ Parisiorum XIV. Kal. Septembris MDC LXXIX.

XLIV.

Digitized by Google

XLIV.

Illustri Domino

STEPHANO BALUZIO

Tutelensi

S. P. D.

HERMANNUS CONRINGIUS.

SUmmi illius gaudii, quo me beavit solstitii brumalis dies, non possum Te Vir optime non participem facere. Nactus nempe illo die sum thesaurum pridem mihi destinatum, hoc est duo volumina Capitularium & primum Miscellaneorum tomum. Et vere superarunt illa longe ipsam meam exspectationem multis modis.

In Tomo primo Capitularium tamen quam maxime affecit me Tua ad Lectorem Præfatio, cum ob variam eruditionem tum cumprimis propter intrepidam veritatis isthoc etiam loco factam professionem. Quæ si Romæ admissa est æquo animo, bene sperandum fuerit imposterum de sepricollis Curiæ emendatione. Fortassis tamen dissimulare censuram fecerunt Tria illa Christianissima lilia: quippe quæ ipsimet Tarpejæ arci non minus terrori esse soleant quam Satanæ tria S. crucis signacula. Euge virorum cordatissime! Perge ita bene de republica & Ecclesia mereri. Deus Tibi erit merces magna. Ante annos triginta sex libro de Germanorum Imperio Romano etiam ego sic satis prolixe de Francorum Imperatorum in Papas prisca auctoritate disputavi: jamqve Tuis videor meexcitari ad libri recensionem pridem meditatam, quoniam exempla libri dudum sunt divendita, ringentibus Curiæ Tiberinæ adoratoribus, simul tamen musitantibus. In Tomo primo Miscellaneorum nihil itidem non placuit.

Præ

Præ aliis tamen me affecere Acta contra miseros Franciscanos, quorum ultra centum flamma sacra perierunt. Historiam illam omnem ex optimis illius ævi scriptoribus in hac Julia nostra Georgius Calixtus Vir magnæ eruditionis simul & moderationis, late est persecutus: quam proinde velim etiam Tibi lectam. Cæterum pro illis Tuis donis amplisimis gratias ago maximas. Proximo vere σὺν θεῷ mittam Hamburgo aliquot etiam mea scripta novissimi temporis: non in ἀντίδωρον tamen sed tantum in signum aliquod venerationis qua Te prosequor. Curabo interea mihi ex Gallia adferri Tuas ἐκδόσεις epistolarum Gregorii M. & Innocentii III. quia hactenus in Germaniam nostram haud pervenerunt. Num licuerit Christianissimo Delphino aliquid Politici argumenti consecrare nec ne; num item fas sit sperare renovationem Regiæ munificentiæ pristinæ, scire ex Te cupidè desidero. Non dubito etiam utrumq; abs te ingenuè significatum iri. Quæso hoc etiam expiscari ne graveris mihiq; indicare. Nec enim quidquam hujus agere Te inconsulto, mihi constitutum est. Ut proximus annus cum aliis secuturis plurimis feliciter Tibi fluat Deum precor, mansurus quoad vixero, Perillustris Domine, Tuo nomini devotissimus.

Helmestadii proprid. Kal. Jan.
Anno 1679.

XLV.

Perillustris Domine.

Simulac splendidum donum tuum nactus sum, quas debeo, gratias egi per literas, cum aliter non liceat. Verum ista epistola num recte sit curata, & non potius

tius malâ fide intercepta, haud parum vereor. Itaqve nunc denuò mitto ejus apographum: simul omnium eorum quæ tum scripsi quasi iterata repetitione. Et verò nunc majores tibi gratias agere me adigit, ex eo tempore è libris tuis major accepta instructio: quia ab iis nunquam nisi doctior discessi hactenus, ut & à quotquot hic vivunt doctis felix censeor tam præclaris donis, quæ in Germaniam nostram hactenus non pervenerunt. Deum veneror, uti possis integrâ valetudine, Ecclesiæ ac Reipublicæ bono, non duntaxat secundum Miscellaneorum volumen, sed etiam Conciliorum ἀνέκδοτα in lucem producere. Mitto tandem aliquando etiam ego nonnulla mea, proximis hisce aliquot annis, inter bellicos strepitus & improsperæ valetudinis fortunæq; incommoda, elaborata. Non in ἀνίδωρον tamen, sed in signum, quamvis leve, ejus qvâ te, & Illustrissimum Mæcenatem Colbertum inprimis, prosequor devotæ venerationis. Nisi memoria me fallit, jam tum pridem misi duo exempla mearum de Republica Imperii Exercitationum per Simonem Paulum, item cura Episcoporum nostrorum doctissimi librum de Antiquitatibus Academicis, nec non per juvenem quendam librum de Pace civili: num horum autem aliquid recte fuerit traditum, hactenus ignoro. Itaq; nunc iterum eadem mitto, tuo arbitrio relicta: num scilicet illa tibi velis retinere an Mecœnatis Bibliothecæ inferere. Invenies vero & alia fortassis hactenus non visa: quæ si & in usum Bibliothecæ illius, & in Tuum suscipere dignatus fueris, multùm equidem mihi gratulabor. Recensui novissimè quos ante hosce annos viginti sex edidi duos de Finibus Imperii Germanici libros: non mitto tamen, cum quia ad manum mihi nullum est plenum exemplum, tum quia pro-

propediem accedet liber Tertius ſupplementorum. Mittam igitur ſimulac licuerit opus integrum dare. Rogo autem etiam atqve etiam, interea temporis ſaltim illa quæ nunc mitto & Tute æquo animo admittas, & meo nomine in ſignum humilis ſimul & grati obſequii Mecænati noſtro offeras, etſi non ſint, perinde ac tua dona, aurata pelle contecta, ſed pro more hujus terræ rudia atqve impolita. Si in priſtinum Regiæ gratiæ locum receptus fuero, & jubear ſententiam dicere de nonnullis Chriſtianiſſimæ Majeſtatis commodis, fortaſſis mittam propediem quæ ex uſu ſint publico: quæ nunc tangere nefas fuerit. Magno interim beneficio clientem tuum affeceris, ſi reſponſo me dignatus fueris. Id quod tutiſſime fieri poterit miſſo epiſtolio ad Reſidentem Regium qui Hamburgi degit. Quamvis hac vice utar ego curâ Conſiliarii Holſatici viri optimi pariter & doctiſſimi; qui inter Regios miniſtros petit recipi, ſaltim titulotenus, quo ſit tutus à Danicis inſidiis. Illuſtriſſimo Colberto fratri innotuit pridem Neomagi Principis ſui legatione fungens: itaqve nunc patronum illum ſuis literis adit, per me etiam noſtri Mecænatis favorem ſibi parari etiam atqve etiam rogans. Quem Tu, Perilluſtris Domine, huic conciliare quæſo ne dedigneris, commerente hoc ipſum viri præclara virtute pariter atq; eruditione.

Præter illum verò, nullâ commodi exſpectatione, Te hic locorum tuo merito maximi faciunt omnes eruditi, quotquot me monſtratore tua legerunt. Quos inter reperiuntur haud pauci inter longius diſſitos quoq;, quibus ex mea Bibliotheca Tua communicavi: cum aliàs eorum nihil fere hic compareat. Et vero præ aliis æſtimat Te in Wittebergenſi etiam Academiâ Zieglerus, Juris utriuſq;

longe consultissimus, Ecclesiastici cumprimis antiquissime pari eruditissimus, sua quædam tibi propediem missurus, ubi intellexerit haud id ipsum ingratum futurum. Epistolam Cœlestini quam fortassis jam edidisti, legere equidem desidero (ut hoc etiam hisce addam.) Qvamvis enim haud dubitem censeri abs te genuinam, neqve ego temerè sim refragaturus: novisti tamen Papam illum multa fuisse conatum periniqua, ac proinde ex illius monumentis tantum colligi posse quid fuerit molitus, non autem, quid ipsi reapse facere licuerit. Totum certamen Africanum Tibi abunde est cognitum; ut &, a nonnullis confictas esse Theodosii Imperatoris nomine de Concilio isthoc Ephesino per Cœlestinum Papam convocando literas, quæ in media Italia nuper plurimas turbas dederunt Henrico Norisio, Antiquitatum Ecclesiasticarum illic loci omnium & peritissimo & candidissimo judici. Ignosce, rogo, multa adeo nunc proponenti: præsertim quia non pecco nisi fiducia Tuæ mihi pridem perspectæ benevolentiæ ut & optimæ mentis. Faxit Deus, uti cum prospera valetudine tuum patrocinium perduret in multos annos. Ita foveo

Tuo

Perillustris Domine

Nomini

semper devotus

Hermannus Conringius.

Helmstadii Saxonum,
25 Junii 1680.

P. S. In Discussione contra Capucinum p. 360. ubi agitur de adorando uno Deo, verba tua esse adducta confido Te haud improbante. Inprimis desidero sententiam tuam de iis quæ p. 335. disserui de Epistola quæ fertur Gregorii ad Secundinum.

XLV.

Digitized by Google

XLVI.

Perilluſtris Domine

ANni præcedentis die viceſimo quinto Junii menſis non duntaxat prolixas ad Te literas exaravi, ſed ſimul Hamburgum miſi ciſtulam plenam variis libellis meis. Omnia probe curanda ſuſcepit Sam. Rachelius Sereniſſimi Holſatiæ Ducis Conſiliarius, magnus Tui æſtimator & meus amicus. Quin ille fecerit officium, non equidem dubito. Quoniam verò abs Te nihil reſponſi redditur, imò de vita aut valetudine Tua ne quidem per alios hactenus quidquam licuit reſciſcere, triſtis ego & plenus ſollicitudinum hæc ſcribo. Si vivis adhuc & mihi faves, quæſo tandem aliquando facias me tanti gaudii participem. Ego quamvis ſenex, quamdiu vixero, manebo

Perilluſtris Domine

Helmeſtadii XI. April. Anno 1681.

Tuæ virtutis & doctrinæ obſervantiſſimus
H. Conringius.

STEPHANI BALUZII EPISTOLA

Ad

Ferdinand. Epiſc. & Principem Paderbornenſem,

ne pagellæ vacarent, adjecta.

JAm antea, Illuſtriſſime Præſul & Celſiſſime Princeps, cum ex pluribus viri doctiſſimi Hermanni Conringii epiſtolis, tum ex aliorum ſermonibus & fama vulgari acceperam, literas & literarum ſtudioſos tibi valde cordi eſſe, & non tam principem locum inter tuos tenere te privilegio ſedis ac generis tui quam propter eximias animi dotes & ſummam eruditionem ac humanitatem prope incredibilem. Sed nunc tuo maximo beneficio ornatus, intelligo cuncta infra famam fuiſſe & humanitatem tuam majorem eſſe quam ut percipi cogitatione poſſit. Quid enim illud eſt, Ferdinande Principum decus & virtutum ac literarum antiſtes, quod nullo hactenus aut officio aut obſequio in

te]meo provocatus non solum non rogatus, tantùm quia à Conringio audiveras me dare operam novæ editioni epistolarum Innocentii III. Romani Pontificis, regestum ejus de negotio electionis Imperatoriæ ad me misisti ex tua Bibliotheca, sed etiam literas omni bonitate refertas primus ad me dedisti vir tantus, prior inter nos aperuisti commercium literarum? Profecto cum mecum reputo quo modo te adversum me gesseris in hac occasione, cum hinc colligo, quantus sit tuus erga bonas literas amor, quantus ardor ad promovenda studia nostra, gratulor Ecclesiæ Catholicæ, quæ talem ac tantum habet Episcopum, gratulor seculo nostro, gratulor & mihi, cujus ea est felicitas, ut ante benevolentiam susceperim summi viri quam quæsierim. Proista interim optima tua in me voluntate immortales tibi, Celsissime Princeps, gratias ago, enitarq; posthac pro virium mearum modulo ut quam gratissimus erga te cognoscar, & ut omnes intelligant apud me memoriam beneficii tui sempiternam fore. Superest, doctissime Præsul, ut tecum paucis agam de editione epistolarum Innocentianarum. *Octo sunt anni, ni fallor, ex quo ea incepta est fieri, sed intermitti eam frequenter oportuit, partim propter occupationes meas, partim quia sperabam, Romanos mecum communicaturos aliquot earundem epistolarum libros qui nondum editi sunt, atq; hic satisfactum mihi fuisset si res stetisset in arbitrio nonnullorum Cardinalium qui & meo nomini studiisq; meis bene volunt. Nunc tandem fatigatus diuturna & inani exspectatione, spem omnem abieci, omninoq; constitui absolvere cœptum opus, quantum mihi licebit per malam valetudinem oculorum meorum & occupationes quibus distineor. Post priores duos libros qui & Romæ & Coloniæ & Venetiis olim editi sunt, addam quæ tertii libri vicem tenebit, primam collectionem Decretalium ejusdem Innocentii, ex tribus primis regestorum ejus libris compositam à Rainerio Diacono & monacho Pomposiano, quam inveni in vetustissimo codice MS. Theodorici Remensis. Deinde sequetur quintus liber, qui ad me pervenit ex urbe Divionensi. Tum decimus, undecimus & duodecimus ex Bibliotheca illustrissimi & eruditissimi Viri Francisci Bosqueti Episcopi Monspelliensis. Superiorum librorum, quorum copiam mihi facere noluerunt ii in quorum potestate sunt, locum utcunq; supplebit collectio Decretalium quam tertiam vulgo vocant, ex duodecim prioribus regestorum Innocentii libris confecta. Tum liber tuus, illustrissime Antistes, quandoquidem illum publici juris esse finis. Deinde libri quatuor editi Tolosæ anno 1635. ab eo quem paulo ante nominavi Francisco Bosqueto Episcopo Monspelliensi. Idem tunc edidit gesta Innocentii III, ex vetusto codice MS.*

Col-

Digitized by Google

Collegii Junensis. Sed editio illa tot mendis laborat, tot erroribus scatet, ut dici vix possit. Itaq; opus illud visum est recudi debere inter prolegomena tomi primi, emendatum ex fide duorum vetustissimorum librorum, quorum unus extat in bibliotheca illustrissimi Archiepiscopi Remensis Caroli Mauritii Tellierii, alter in Regia Addam autem fortasis aliquot notas huic novæ editioni necessarias & utiles. Patere vir doctissime & humanissime, ut quandoquidem obtulit sese occasio differendi de studiis meis, tecum adhuc paucis agam de nova, quam paro, collectione Conciliorum *& de nova item editione* Capitularium Regum Francorum. *Quod duplici de causa facio, illustrissime Præsul. Primum ut tibi reddam rationem aliquam studiorum meorum, tibi, inquam, quem scio istis rebus mirum in modum delectari. Deinde ut admonitus à me quid mediter, symbolam tuam pro tua singulari humanitate conferas ad commentum suscepti consilii, remq; publicam ecclesiasticam, pro tua pietate, eruditione, & auctoritate, quibus plurimum vales, promoveas. Quod attinet ad collectionem Conciliorum, in hoc sum ut propediem prælo committam tria magna volumina, in quibus continebuntur mille ferme Concilia provincialia ex omnibus ætatibus, & ex utraq; Ecclesia Occidentali & Orientali quæ nondum edita fuere in collectionibus Conciliorum quæ usq; ad hanc diem prodierunt, neq; etiam in illa omnium amplissima quam his diebus in publicum irrefecit vir clarissimus Gabriel Cossartius Presbyter è societ. Jesu. Addam ingentem numerum epistolarum Pontificiarum, & tractatus quosdam ineditos veterum scriptorum de auctoritate Concilii generalis. Initio autem operis dabitur magni illius Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis dissertatio de veteribus Canonum collectionibus, quæ nusquam hactenus edita est. Hanc sequetur tractatus Guillelmi Durandi Episcopi Mimatensis de modo celebrandi Concilii generalis, emendatus ex fide vetustissimi codicis manuscripti. Colligam deinde in alio opere, ut dixi,* Capitularia Regum Francorum *secunda stirpis, id est, ab anno 741. usq; ad annum 880. aut circiter. Opus erit divisum in partes tres. In prima locabuntur Capitularia ipsa integra, prout edita fuere à Principibus nostris, sive ea quæ jam typis nostris vulgata sunt, sive quæ adhuc habentur in vetustis codicibus. Sequentur postea libri septem Capitularium, non quales editi sunt à clarissimis viris Joanne Tilio & Petro Pithœo, mutili & truncati, sed juxta veteres tosq; optimos codices, & secundum numeros capitum à vetustis scriptoribus & in antiquis synodis Gallicanis & Germanicis laudatos. Tertium locum obtinebunt Capitula Caroli Calvi, olim quidem à doctissimo viro Jacobo Sirmondo edita,*

sed

Digitized by Google

ſed nunc in multis locis emendata & auctа ope veterum codicum ex Gallia & Hiſpania Tarraconenſi. Et quia vir celeberrimus Hieronymus Bignonius exiſtimavit, Marculfi & aliorum veteres formulas jungi debere cum libris Capitularium, quod illi plurimum lucis inde accipere poſſint, dabo novam iſtius auctoris editionem ſuo nitori, ſeu potius, ut dicam id quod res eſt, ſuæ barbariei reſtitutam ex codice venerandæ antiquitatis qui nunc extat in Bibliotheca Regia. Deniq; addam notas meas, quarum hic unicus fermè ſcopus erit, ut vetera & obſoleta medii ævi vocabula explicem quæ in libris Capitularium & apud Marculfum alioſque veteres formularum editores occurrunt. Si quid ergo habes, Celſiſſime Princeps, quo me juvare poſſis, nullus dubito quin lubenter more tuo mittas, qui etiam non rogatus beneficia tribuere ſoles. Habebunt autem tibi propterea gratias quotquot in hac urbe & alibi bonas literas amant. Ad me quod attinet, æternum ero devotiſſimus ingentium virtutum tuarum cultor, & ſin minus exſolvere potero beneficia in me tua, certe animus meus eorum ſemper erit memor. Juſſeras, illuſtriſſime Præſul, ut nomine tuo ſalutarem optimum patronum meum Joannem Baptiſtam Colbertum. Feci, ſimulq; ei & epiſtolam tuam oſtendi, & beneficentiam tuam ea qua debui grati animi teſtificatione apud eum prædicavi. Voluit ille venire in partem beneficii mihi præſtiti, juſſitq; ut etiam ſuo nomine tibi gratias agerem maximas. Cum autem oſtendiſſem etiam imaginem vultus tui, quam ad me miſiſti, Celſiſſime Princeps, admiratus eſt formam viro Principe dignam, mandavitq; in illuſtri loco reponi in celeberrima & elegantiſſima Bibliotheca ſua. Deus te per multos annos ſervet incolumem, Illuſtriſſime Præſul & Celſiſſime Princeps, & me tua benevolentia perge porro honeſtare. Dab. Pariſ. III. Kalend. Maji M. DC. LXXII.

P. S.

PAulo poſt quam ad R. P. Verjuſium Jeſuitam miſeram literas quas ad te dedi III. Kalendas, Illuſtriſſime Præſul, & Celſiſſime Princeps, redditus eſt mihi liber poematum tuorum, *hinc magis æſtimandus quod munere tuo ad me pervenit. Confeſtim illum evolvi, avide legi, & miratus ſum felicitatem ingenii tui, & facilitatem in verſibus faciendis. Sed tamen iſtud in te mirandum non eſt, vir illuſtriſſime, cum domeſticum & familiare ſit, ut qui ſummos in Furſtenbergica familia Poetas ante habeas, Theodorum Epiſcopum & Principem Paderbornenſem, & Caſparum Weſtphaliæ atq; Angariæ ſummo cum imperio olim Præfectum. Unde colligi poſſet verisſimum eſſe vetus illud di-*

Digitized by Google

dictum: Nascuntur Poëtæ, fiunt Oratores. *Multum autem voluptatis accepi ex lectione versuum, quos inscripsisti Monumenta Paderbornensia, ea inprimis de causa, quòd, præterquam quòd elegantissimi sunt, continent memoriam rerum olim in ea parte Romani Imperii fortiter ac præclare gestarum à magnis viris. Unum, ne quid dissimulem, ægre tuli, quod mihi ad manum eodem tempore non fuerit commentarius tuus, eruditissime præsul, ad monumenta illa tua, in quo non dubito quin multa reperturus fuerim quæ animum meum pascerent suavissima pulcherrimarum rerum cognitione. Efficiam autem, si per bellum istud licuerit, ut liber ille ad me quamprimum deferatur ex Hollandia, ubi intelligo secunda editione donatum fuisse. Ago interim tibi atq; habeo gratias quam possim maximas pro isto tuo munere, quod diligentissimè, quamdiu vita suppetet, servabo velut testimonium tuæ in me benevolentiæ. Legi totam integram præfationem nobilissimi cognati tui Christiani Theodori Plettenbergii Canonici Hildesheimensis, Celsissime Princeps, doctam sanè & elegantem ac plurimâ bonâ latinitate manantem. Nescio quibus ille se studiis applicet. Sed persuasum habeo cuncta illi facilia esse qui & tam ornate scribit & eruditè. Gratulor interim Germaniæ, ubi video vestra omnium ope reflorescere studia literarum.*

Dum hanc epistolam scribo, unus amicorum meorum, idemq; Poeta optimus, Joan. Bapt. Santolius *Canonicus regularis Sancti Victoris Parisiensis, qui jam audiverat te, Celsissime Princeps, in hac arte excellere, meum auxilium imploravit, ut tibi notus esse posset. Non recusavi hanc provinciam. Itaq; mitto & selecta ejus carmina & epistolam quam is ad te scribit ut in tuam familiaritatem admitti possit. Vale Princeps Optime & eruditissime, & memor esse semper velis meæ erga te reverentiæ.*

INDEX RERVM PRÆCIPUARUM.

A.

ACta contra Franciscanos. 105
Antiquitatum Academicarum editio nova. 57. 85
Antonii Augustini dialogorum nova editio Baluziana. 43. &c.
vid. Emend. Gratiani.

Archicapellanus an dici etiam soleat Archiepiscopus, & cujus respectu. 68. seqq. 74
Arnulphus Aurelianensis qualis habeatur à Romanis. 7

B.

Baluzii fata propter edita quædam scripta Ecclesiastica. 4. 9. 78. 81. *Ej. modestia.* 34. seqq. *Valetudo oculorum.* 42. 50. *Censura in notas ad Leonis III. epistolas.* 48. seqq. 55. *ad eam Conringii responsio.* 51. seqq.
Baluzii longum silentium. 89. seqq. 95. seq. 109. *æstimatio apud eruditos.* 2. 107
Baluziani editi quidam libri. 28
Bonæ Cardinalis laus. 81
Bonifacii epistola. 20
Borrichius scriptorum quorundam Conringii censor. 88
Breve Paschalis Papæ. 8. 13

C.

Canonum Africanorum autoritas. 11
Capitularium Regum Francorum nova ed. Baluziana. 22. seqq. 36. 78. 80. 97. *De ea prolixe disseritur.* 111. seqq. *quid & cur ob eam à Romana censura metuendum.* 80. *De tomi I præfatione Conringii judicium.* 104
Capitularia quædam Caroli M & Ludovici Pii. 25. seqq. 40. *Caroli Saxonica à quo sint eruta.* 40. 42
Codex Canonum Romanus. 18. seqq.
Cœlestini Papæ commonitorium edit Baluzius. 103. *de ejus actis & scriptis quibusdam judicium Conringii.* 108
Collectiones Canonum antiquæ Bibliothecæ Juliæ. 60. seqq.

Com-

Digitized by Google

Commendationes Conringianæ variorum ad Baluzium. 21. 87. 90 92. seqq.
Conciliorum à Labbeo prætervisorum collectio Baluziana. 2. 3. 111.
Concordia Ecclesiastica in Gallia agitari perhibetur. 58. 71
Concordia Ecclesiastica an sperari possit. 71. seqq.
Concordia sacerdotii & Imperii apud Romanenses cur expectari non possit. 19
Conciliorum alia collectio Baluzii. 97
Conringii studium rerum sacrarum. 32. seqq. *pacis ecclesiasticæ.* 60. 71. seqq. *civilis* 82. 92. *ejus valetudo.* 51 100
Cossutii epistola ad Regem Galliæ qvalis. 53. seqq.
Crucis signum ubi ostensum Constantino. 99
Curia Romana non potest ferre Baluziana quædam. 81. 85
Curialium libellus. 6

D.

Decretales epistolæ. 11. seqq. 17.
Dionysii cura in edendis Africanis. 19
Dionysii Werlensis refutatio. 95
Diplomatis Lindavienſis falsitas. 39. 43
Ducbesnii editio synodi Remensis. 5. 11

E.

Ebborectius dicitur quàm Ebo. 16. *Ej. apologeticus.* 8, 12. 16. *de ej. depositione epistola Rhabani.* 13
Eigiles ubi Abbas fuerit 16
Emendationum Gratiani nova ed. Baluz. 43. 47. 55. *earum præfationis fata diversa.* 72. 74. 81
Epistolarum Pontificiarum autoritas. 11
Exercitationum Academicarum nova ed. 81. seqq. 84. seqq.

F.

FErdinandi Fürſtenbergii laudes. 17. 30. 33. 46. ſeq. 68. *Ej. erga Baluzium humanitas &c.* 109. ſeq.
de Finibus Imperii Germanici librorum nova ed. 106. ſeq.
Flacii fides in edendis ſynodi Remenſis actis. 5
Francorum remp. veterem illuſtrare ſtatuit Conringius. 85

G.

GAllici Bataviq; belli ratio. 76. ſeq.
Gerbertus num interpolarit acta ſynodi Remenſis. 3. *quid de eo ſentiant Romani.* 7
Gerbertiana quædam ſcripta. 7
de Germanorum Imperio Romano libri ed. nova. 104
Gregorii M. epiſtolarum nova ed. Baluziana. 97
Greiffenkrantzii commendatio ad Baluzium. 87

H.

HElmſtadienſis juvenis commendatio ad Baluzium. 94
Heribaldi quæſtio ad Rhabanum. 13
Hildebrandi operam Baluzius expetit. 1. 2. 15
Holſatici Conſiliarii commendatio. 107

I.

IMaginem Baluzii impetrare non potuit Conringius. 34. 37. ſeq.
Imago Furſtenbergii à Colberto magnifit. 112
Indiculi Capitularibus Carolinis ſubjuncti ætas & emendatio. 41
Innocentii III. laus. 12. *Ej. epiſtolarum ed. nova Baluziana.* 12. 97. *Editionis hujus libri recenſentur.* 110
Joſephi editio nova. 31. 37. *exemplaria vetera.* 38
Juonis panormia. 61. 73
Juvenum trigæ commendatio ad Baluzium. 49. ſeq.

Kö-

Digitized by Google

INDEX.

K.

Königsmarcki Comitis ejusq; Ephori commendatio ad Baluzium. 90

L.

Labbei gravis censura Conringii. 49. *adversus eam Conringii defensio.* 52
Lactantii liber de morte persecutorum editur à Baluzio. 98. 101.
Ejus synopsis. 98. seq.
Ludovici Imp. epistolæ quædam. 17. 40
Ludovici Regis munificentia. 71. 75

M.

Manuscripta quædam bibliothecæ Juliæ. 21. 41. 60. seq.
de Marca (Petri) in Baluzium amor, merita, & ad hunc supremum morientis mandatum. 2. 9. *in ejus operis altera editione quid addiderit Baluzius.* 9. 10
Marculfi formularum editio nova Baluziana. 43. 112.
Miscellaneorum libri duo Baluziani. 98
Moscovii juvenis commendatio ad Baluzium. 49. seq.

N.

Nobilis Germani commendatio ad Baluzium. 21
Nodsyr quid significet. 41
Norisii encomium. 108

O.

Ostfrisii juvenis commendatio ad Baluzium. 92
Ottonis III. donatio. 18

P.

De Pace civili librum denuo edit Conringius. 92
Pax publica redintegrat literarum commercium. 98. 100. 102

Re-

Digitized by Google

INDEX.

R.

Reginonis ed. nova Baluzii. 14. 22
Reip. Germanicæ plena notitia. 84
Reip singularis notitiam edere statuit Conringius. 101 seqq.
Rhabani epistola pœnitentialis. 13 *à quo hoc ei nomen inditum.* 16
Ej. epistola ad Eigilem. 13. 16. *it. ad Heribaldum.* 14
Rhabani Mss. duo bibliothecæ Juliæ. 21
Romana censura in quosdam libros Baluzii. 81. *v. Baluzii fata.*

S.

Salicæ legis primi natales. 83
Salviani judicium de Gothis Arianis. 32
Summi titulum recusat Baluzius. 34. seqq.
Synodi Remensis adversus Arnulphum acta num sint interpolata. 3. *Ej. editiones quantopere discrepent.* 5. 6. *Ej. codex vetus bibliothecæ Juliæ cujus sit ævi & notæ.* ib. *variæ ej. synodi editiones.* 10. seqq.
Synodus Romana Joannis XII. contra Leonem. 8. 12

V.

Variantes lectiones ex variis codicibus mitti sibi petit Baluzius. 1. seqq. 12. seq. 15. 23. 26. 37.
Vaticanus codex epistolarum Innocentii III. 17. 30
Vicariatus Thessalonicensis occasio. 20
Vincentii verè καθολικὸν. 33

W.

Wecheliana editio Synodi Remensis ad Arnulphum. 5. 6

Z.

Ziegleri encomium. 107. seqq.

FINIS.

Digitized by Google

HERMANNI CONRINGII
AD

FERDINANDUM
Epiſcopum Monaſterien-ſem ac Paderbornenſem,

S. R. I. PRINCIPEM

L. B. de FURSTENBERG.

ET

Hujus ad Illum

EPISTOLÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

FERDINANDUS
EPISCOPUS AC PRINCEPS PADERBORNENSIS
S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HERMANNO CONRINGIO
Medicinæ Doctori.

QUod in literis Tuis ad Franciſcum Ottonem de Borgh conſiliarium noſtrum non ita pridem datis noſtri mentionem feceris, perquam nobis gratum accidit, qui ingenii tui monumenta non ſolum magni æſtimamus, ſed etiam olim valde avide perlegimus: cum enim in obſequio ſummi Pontificis Alexandri VII. Romæ verſaremur, & Lucæ Holſtenii conſuetudine & Bibliotheca familiariter uteremur, frequentes de ingenii tui præſtantia ac doctrina inter nos ſunt habiti ſermones, quibus Julius Blumius non ſemel interfuit: ſummopere autem tuam patriæ hiſtoriæ & rerum Imperii noſtri cognitionem in defendendo jure Moguntino coronandi Regem Romanorum ſum admiratus. QVare ingenio tuo ex animo gratulamur, & quandoquidem noſtram erga bonas literas ac literatos viros propenſionem ex nonnullis epiſtolis noſtris collegiſſe te ſcribis, hunc ad te Poematum libellum mittimus, benevolentiæ in te noſtræ & juvenilis otii Muſis olim in Italiâ impenſi teſtem. Tu quicquid hoc eſt muneris æqui boniq;

Digitized by Google

consulas, ac persuasissimum insuper habeas velimus, nihil nobis acceptius fore, quam si occasionem tibi tuisq; aliqua in re gratificandi nobis suppeditaveris. Vale.

Paderbornæ Non. Decemb. 1663.

P. S. *His adjicimus insigne antiquitatis patriæ monumentum ex antiquissimo MS. codice palatino Bibliotbecæ Vaticanæ bona fide erutum, â me diligenter inspectum, descriptum & evulgatum, cujus postrema pars seu Indiculus superstitionum ac paganiarum judicium ac interpretationem tuam desiderat. Iterum vale.*

II.

FERDINANDO EPISCOPO ET PRINCIPI PADERBORNENSI.

Eminentissime Princeps, Domine Clementissime.

NIhil minus cogitavi, quàm fore ut in manus tuas inciderent, quæ ad Nobilissimum Borchium exaravi; itaq; planè ex sententia scripsi nihil dans auribus: jam a multis annis suspicere me & colere eximiam tuam eruditionem, eoqve merito me amico gratulari, quod nactus Principem ac Dominum, qualem neminem hactenus in sacro Principum ordine Germania nostra habuit. Jam scilicet annos decem est & quod excurrit, cum in opere *συμμίκτων* Allatianorum admiratus sum unum alterumqve carmen tuum, mole quidem exiguum, ast elegantia & venustate cum antiquitate comparandum. Ex eo vidi & literas ad Baronem Boineburgium scriptas: qvarum ille me pro amicitia participem fecerat, plenas itidem præstantis humaniorum literarum peritiæ. Quare nec

apud

apud illum potui dissimulare lætitiam quam percepi, audito in Ecclesiasticorum Principum Germaniæ numerum Te relatum esse: Cujus mei animi indices literas fortasis adhuc possit ostendere decus illud alterum Germaniæ, & Germanicæ Nobilitatis. Planè superatam verò etiam meam exspectationem, & neutiquam hactenus judicio me assecutum magnitudinem Eminentissimæ Celsitud. Tuæ, nunc sentio. Solet scilicet Magistratus demum virum ostendere: plerumque cum dignitate priscis mutatis moribus. At verò crevisse humanitatem dixerim, doctrinæ verò melioris amorem nihil perdidisse, illo quod ascendisti fastigio. Quantus enim ille, qui isto positus loco, dignetur me hominem sortis tenuioris, nunquam visum vel auditum, non rogatus, nullaq; præbita justa gratiæ causa, sacræ manus Epistolâ simul & libro! Et Epistolâ quidem, refertâ plane iis moribus, quibus sese vulgus eruditorum excipit, nihil sapiente Principalis Eminentiæ: imò & mearum laudum plenâ, quales solet amicitia exprimere, eaqve inter pares. Enimverò haud equidem verba invenio, quibus pro merito tantam virtutem prædicem, vel pro inusitato honore mihi exhibito agam gratias. Carminum ille additus liber plurimum me profecto affecit: quoniam omnia visa sunt Augusti aureum seculum referre. Laudabit omnis erudita ætas felicem vim Poëticam septem Plejadum illius voluminis, & aget gratias impensæ in editionem curæ, quæ indubiè Eminentiss. Tuæ Celsitudini debetur. Cum non invenerim verò inter illa, quæ Eminentissimum Tuum nomen referunt, illud rotundum συμμίκτων operi subjunctum Epigramma, vereor ut editor omnium voluerit nos participes reddere: quod equidem doleo. Ego non potui me continere simulatq; librum ac-

cepi, quin illum mitterem Neſtori Germaniæ, optimo Principi ac Domino meo, qui unus Auguſti ſui nominis menſuram implet: Qvandoquidem in Serenisſimo illo ordine nemo temere & amantior & intelligentior omnigenæ doctrinæ, nemo ſtudioſior theſauri librarii, quamvis omnes ante ſe natos inuſitata congeſta librorum vi jam ſuperaverit. Exemplum Capitularis vetuſtisſimi illius jam ante quadriennium Illuſtris Boineburgius mihi curaverat. Tantiqve â me ſemper factum eſt illud Carolini ævi monumentum, ut conſtituerim addere tertiæ editioni libri mei de Origine J. Germanici, in Germania nuſquam illius exemplis comparentibus, & Romæ fortasſis haud ſatis ex æqvo æſtimatis. Gaudeo me jam intellexiſſe cujus curæ editio illius libelli debeatur. Neqve verò id abs me reticebitur ad Lectorem: in cujus gratiam nonnulla forte & ſubjungam de antiquis Saxonum ſuperſtitionibus: quanquam earum ut memoriam ita & intellectum longa ætas & felix Chriſtianæ religionis propagatio ferè obliteravit. Simulac tertia editio viderit lucem, mittam. Imo propediem & alia quædam mea transmittam; animum mihi faciente id uti audeam, quandoquidem reapſe jam didici Eminentiſſimam Tuam Celſitudinem, *meas eſſe aliquid putare nugas.* Deum veneror uti Reip. (qvæ ſane in gravisſimo verſatur diſcrimine) bono Eminentiſſ. Celſitud. Veſtram & hoc & ſecuturis annis plurimis ſoſpitem incolumemq; conſervet.

Helmſt. Kal. Jan.
Anno 1664.

Eminentiſ. Celſitudini
omni obſequio
dedit isſimus
H. Conringius.

III.

Digitized by Google

III.

FERDINANDO EPISCOPO PADERBORNENSI.

Eminentiſſime Princeps, Domine Clementiſſime.

SErius quam initio inſtitueram & par erat, mitto quidem librum meum de Origine Juris Germanici: quandoquidem tamen mora omnis nata eſt mihi invito ex ſiniſtro de valetudine, imo vita Tua, rumore, non dubito â benevolentiâ Tua commiſſæ fortaſsis culpæ veniam mihi polliceri. Inprimis quoniam & quod mittere aliquid audeam, ſola effecit quam ſcripta pridem Epiſtola teſtatus es, inexſpectata erga me & libellos meos benignitas. Deprehendere autem in hoc volumine fuerit, cum bis in laudem Tuam, quamvis infra meritum (quî enim ego verbis exæquem virtutes tuas) nonnihil dictum, in præfatione ſcilicet ad Lectorem & capite tertio decimo; tum illa antiquiſſima Capitularia, quæ Tuo dono posſideo. Utinam vero tantum ſit Tibi â negotiis Reip. otii, uti posſis ſaltim curſim perluſtrare etiam libri illius mei reliqua omnia! Quod ſi tamen id ſperare haud liceat, rogo quam poſſum maximè, uti digneris ſaltim, quæ capitibus duobus ultimis diſputavi, acerrimo quo vales judicio expendere. Enimverò, eſt quidem argumentum libri omne curâ Principum haud fortaſsis indignum: iſthæc poſtrema tamen præ aliis illam quaſi exigunt. Tui autem unius judicio equidem fuerim contentus, id ſi nanciſci mihi contigerit: qvoniam qvi æque æſtimare talia posſit, in Principum ordine noverim neminem.

Wolfenbütteli in Aula
13. April Anno 1665.

Eminentiſſimæ Celſitudini Tuæ
atatem omnem devotiſſimus
Herman Conringius.

Digitized by Google

IV.

EMINENTISSIME & ILLUSTRISSIME PRINCEPS,

Domine Clementissime.

HEsterno die Sereniſſimus Princeps ac herus meus, verè Auguſtus ſeculi hujus Neſtor, non miſit duntaxat nonnulla literarum tuarum, ſed etiam deſiderio Tuo ſatis me facere juſſit. Ego vero viſis illis Tuis non in levem ſum dolorem conjectus. Etenim non tantum jam ante biennium & quod excurrit, Clementiſſimis literis tuis, quibus & Poematum librum, & inſigne illud Saxonicarum rerum monumentum Romæ ex Palatino Codice erutum junxeras, ſtatim reſpondi: ſed cum illud ipſum monumentum una cum libro meo de Origine Germanici juris anno proximo edidiſſem, illico exemplum operis Eminentiſſimæ Celſitudini Tuæ miſi; ſaltem in ſignum prompti obſequii pariter & ejus quo proſequor præclaram eruditionem ac humanitatem Tuam cum Principali faſtigio rariſſimè conjunctam (quarum virtutum nomine ipſo in libro non ſemel Te laudaveram) affectus & admirationis. Illa omnia pridem tradita eſſe, nullus equidem dubitavi: nunc vero ſiniſtra quæq; non poſſum non ſuſpicari. Miſi autem ante hoſce ſeptem menſes circiter etiam libri mei quem de Antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii ac viciniæ conſcripſi, exemplar: quod proinde itidem periiſſe non poſſum non vereri. Quæ res ægerrime abs me jam fertur: non quod jacturam fecerim librorum, ſed quod Te, tantum Principem, non ex merito coluiſſe, & defuiſſe officio meo, queam videri. Nec verò dolore illo liberabor, niſi fortaſſis meliora mihi nunciari feceris. Jam tum

tum autem neutiquam disſimulavi, ſed aperte prodidi, veterum ſuperſtitionum & idololatrici cultus Saxonicæ Gentis ignorantiam: ac proinde quæ in iſthoc abs te eruto monumento recenſentur, illuſtrari à me haud poſſe. Quemadmodum ſcilicet pleraq; Sacrorum Græcorum Romanorumq;, Myſteria præſertim, nos hodie fugiunt: aliorum populorum Sacra illa profana ferè omnia ignorantur; ita non eſt mirum periiſſe tandem memoriam rituum priſcæ δαιμονολατρείας noſtræ. Præſertim quia omnia ejusmodi ex antiquis libris accipi duntaxat poſſunt: quales de Græcis & Romanis rebus ſuperant quidem, non autem de Germanicis, niſi perquam rari. Eadem ſanè de causâ ignoramus hodie dæmonolatricas ceremonias plæraſq; Cananitico-rum populorum, quos internecione deleri Deus juſſit. Quod ſanè nonnulla Moſaicæ Legis illis oppoſita eſſe hodie cenſent eruditi, id non tam teſtimoniis antiquis nititur quam ſagace conjecturâ primi (quantum equidem novi) Moyſis Maimonidæ; quem non dubitavit ea in re ſequi jam olim ipſe Thomas Aquinas. Cæterum & quæ recitantur ineptiæ impiæ Indiculo illo, utrum ſint Saxonicæ Gentis; equidem multum dubito. Imo non eſſe, auſim certo aſſeverare; ſi ſane in Liſtinenſi Concilio Anni DCCXLIII. Indiculus ille eſt confectus: Liquidò enim apparet, quæ recitantur ſuperſtitiones non niſi reliquias eſſe veteris paganiſmi, ſed in gente quæ jam Chriſtianâ religione erat imbuta. Quod vel illud unum oſtenderit, *de petendo quod boni vocant S. Mariæ: item illud, de eo quod ſibi ſanctos fingunt quoslibet mortuos.* At vero quo tempore habitum illud Concilium fuit, nondum vel facula in Saxonibus accenſa fuit Chriſtianæ lucis: etſi iſthoc ipſo anno Carolomannus Caroli Magni Patruus expeditione in Saxoniam facta,

facta, ut in Annalibus quidem Francicis, qui appellantur, legitur, Hochſiburch caſtrum (quod in Reginone tamen rectius fortè dicitur Ochſenburg) ceperit. Notum ſanè, Caroli demum Magni auſpiciis cœpiſſe in Saxonibus primordia Chriſtianiſmi, & quidem ab anno ſeculi illius octavi ſeptuageſimo quinto. Sed & quæ Indiculo præmiſſa eſt Fidei profeſſio, vel illâ quâ ſcripta eſt dialecto, facilè indicat, non in Saxonicæ Gentis uſum quidquam ejus eſſe compoſitum. Ut nunc taceam, primos Evangelii in Saxonibus prædicatores non ex ſuperiore Germaniâ ſed ex Britannia aut Friſiâ adventaſſe. Etiamſi poſſem igitur nonnihil adferre lucis Indiculo illi, res Saxoniæ tamen priſcæ iſthoc ipſo haud illuſtrarentur. Nihil cœteroquin mihi prius foret, quàm Eminentisſimæ Celſitudinis Tuæ deſiderio obſequi: præſertim quia intelligo, meditari Te Hiſtoriam Paderbornenſis ἐπισκοπῆς, quod argumentum hactenus, quod ſciam, nemo ex dignitate tractaverit, etſi ex regione illâ ipſi Nihemii & Reineccii, omnis antiquitatis curioſisſimi ſcrutatores, prodiiſſent. Libentisſime equidem juverim tantos conatus ſi poſſim. Quod ſi Celſitudo Tua Serenisſimum Herum meum inviſerit, quod deſiderari ſcio ab illo ſapientisſimo Neſtore, dabitur fortasſis occaſio coràm explicandi animum inſerviendi cupidisſimum. Nunc Deum veneror, uti bono Germaniæ publico, Te Principem, pacis & tranquillitatis tot inter Martios furores ſtudioſum, diu conſervet.

Helmſtadii 3. April. 1666.

Eminentisſimæ Celſitudinis tuæ devotisſimus

Hermannus Conringius.

V.

Digitized by Google

V.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS.

Coadjutor Monasterienſis

S. P. D.

HERMANNO CONRINGIO

Viro eruditiſſimo.

MOnumenta Paderbornenſia ex hiſtoria Romana, Francica, Saxonica eruta & notis illuſtrata, quæ in lucem publicam nunc prodeunt, tecum communico, mi Conringi, ut cenſeas & emendes, pro ſingulari tua eruditione & patriæ antiquitatis notitia. Quare majorem in modum te rogo, ut cenſuram liberrime exerceas, meq; admoneas erroris ubi ubi deprehenſi, quo ſuo tempore emendatius hocce opuſculum poſſit recudi. Gratiſſimum etiam nobis accidet, ſi quibus argumentis & autorum teſtimoniis ſententiam noſtram confirmabis, eaq; nobis ſuggeras, ſecundæ editioni inſerenda. Quicquid autem operæ hac in re collocabis, uti nobis perquam erit acceptum, ita non omittemus debitis officiis remunerari. Autoris notarum titulus non eſt operi præfixus, qui latere mavult, quam laureolam in muſtaceo quærere, ea præcipue de cauſa, quod per negocia publica haud illi licuit limæ immorari & menſuram nominis ſui implere. Unum ex his exemplum Bibliothecæ Wulfenbutelianæ donatum velim, cætera tua ſunto. Vale.

Paderbornæ VII. Kal. April.
MDCLXX.

VI.

EMINENTISSIME ET SERENISSIME PRINCEPS

Domine Clementissime.

QUo magis præter exspectationem advenit munus, ut inusitatæ in Principum ordine eruditionis, ita simul immeritæ Clementiæ certum testimonium, eo impensiùs non possum non gaudere. Eminentissimam Celsitudinem vestram isthoc in argumento occupari, non adeo pridem narraverat mihi in Wolfenbuttelensi aula tum degenti Hervordiensis satrapa Arnoldus Ludovicus de Post: quem quia itidem Germaniæ nostræ antiquitatum studio duci intellexi, simulq; Eminentissimæ Celsitudini vestræ brevi coràm serviturum rogavi, ut quidem ante omnia humillima obsequia mea offerret, simul vero, cum de sedibus Francorum illorum, qui Germaniâ relicta in solum Gallicum commigravêre, incidisset sermo, conjecturas meas præbitâ occasione Eminentissimæ Celsitudinis vestræ limatissimæ censuræ subjiceret, omnino vero calcar adderet in tam nobili stadio currenti. Id num ille jam tum fecerit nescio, facturum non equidem dubito. Nec ille autem mihi narravit nec ego credidi, jam eo usq; argumentum hoc fuisse elaboratum, ut lucem haud defugere posset: haud ignarus scilicet, quæ soleant esse Principum occupationes, quantumve illæ animum â literariis curis seducant. Erit sane libelli lectio mihi omnibus prior negotiis hoc etiam ipso die; quantum per valetudinem quidem licuerit, quæ ut semper vernali tempestate solet esse nonnihil infirmior, præsertim ætati jam in senium vergenti, & Regum Prin-

ci-

cipumq; rebus propemodum defatigatæ. Censuram ex voto Eminentissimæ Celsitudinis Vestræ scio à me præstari non posse: non deero tamen expectationi saltem pro virili, simularq; cum justa cura librum volvere licuerit: quod spero statim â feriis Paschalibus, quas solis sacris impendere jubet religiosa pietas, mihi permissum iri. Exemplar libri unum Augustæ Bibliothecæ Eminentissimæ Celsitudinis Vestræ nomine, prout sum jussus, dedicabo, & quidem perendie statim literis ad Principem meum datis. Alterum dare Antonio Ulrico regentis Principis fratri, literato item & literarum literatorumqve magno æstimatori, animus est. Tertium die statim crastini Juliæ Bibliothecæ Academicæ consecrabo, addito autoris elogio. De reliquis cogitabo. Absit enim ut indignis horum quidquã offeratur.

Deum veneror, Eminentissime & Serenissime Princeps, uti possit & integra valetudine & rebus prosperè ceu hactenꝰ succedentibus, Eminentissima Vestra Celsitudo otio literario interdum frui, animumq; ad magna quæq; componere.

Eminentissimæ & Serenissimæ
Celsitudinis vestræ *ætatem*
Helmstadii 23. Martii 1670. *devotissimus servus*
H. Conringius.

VII.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS Coadjutor Monasterienſis S. P. D. Cl. Viro HERMANNO CONRINGIO.

EX quo responsum tuum de redditis tibi monumentis Paderbornensibus accepi, cessavit cœptum literarum nostrarum

commercium: ea enim interea, ut nosti, inciderunt tempora, quæ potius justitium Musis nostris indicerent, quàm otium facerent. Nunc itaq; rebus iterum quietis resumo calamum, & hanc Rottendorffii nostri præfationem novæ Monumentorum editioni, quam priori longè auctiorem ornatioremq; Daniel Elzevirius Amstelodami adornat, præmittendam tecum communico, unaq; judicii tui facio, quæ in monumentis Visurgis & Remæ de Francorum & Saxonum origine sumus hariolati. Tuæ erit humanitatis ea censere & sententiam hac super re tuam nobis significare, quam tanti facturi sumus, quanta est ingenii & eruditionis tuæ apud omnes & nos cumprimis existimatio. In monumentis porrò nostris ad te missis non semel adverteris Henricum de Hervordia â nobis citari, cujus historiæ binæ priores partes MSS. apud me sunt, sed postremam ejus partem, in quâ sui temporis res gestas pertractat, hactenus desidero. Quare majorem in modum te rogo, ut certiorem me facias, utrum in Bibliothecâ Julia, aut alibi apud vos hic Thesaurus lateat, de quo vix aut ne vix quidem dubitare me patitur Meibomius vester, qui hujus Autoris testimonium in suis editis libris passim adducit. Quo itaq; citius hac super re responsum nobis dederis, eo erit gratius acceptiusq;. Vale

Neuhusii xv. Julii 1671.

VIII.

EMINENTISSIME ET ILLUSTRISSIME PRINCEPS

Domine Clementissime.

CUm nuper turbaretur ad Visurgim, dolui equidem, Eminentiæ Vestræ litteraria studia non posse non simul turbari; cumprimis autem metui ne & ipsa involveretur. Eo majore gaudio me affecerunt clementis-

tisſimæ litteræ Eminentiæ Veſtræ cum adjectis plagulis. Vidi enim rediiſſe in priſtinum otium Muſas Veſtras, neq; per Martias turbas jacturam aliquam me feciſſe priſtinæ gratiæ. Cum primis magnâ cum voluptate intellexi iteratum illud patriæ monumenta excolendi illuſtrandiq; ſtudium: rem & piam & utilem & ingenuo cuivis perjucundam. Etſi enim alibi ſplendidiora & ſumtuoſiora pasſim ſuperſint; rerum tamen geſtarum magnitudine illis aliis Paderbornenſia veſtra monumenta neutiquam in quam multis concedunt, quædam & ſuperant. Fuit ſanè ille Rhenum inter & Viſurgim terrarum tractus â Julii Cæſaris uſqve ævo aliquot ſeculis Romanæ Germanæq; virtutis palæſtra. Et vero ipſos etiam Marcomannos, Harudes, & Seduſios antiquiſſimas ſedes non alibi habuiſſe, ipſa earum nomina ſignificare mihi videntur, ab oppidis ſcil. ſuæ cujuſq; gentis ita dictos quorum vocabula etiamnum ſuperant. Qvemadmodum videlicet â Marca hodie comitatui Marcano, ita olim Marcomannis fuiſſe nomen: ab eo quod hodie Dusburgum audit, olim Seduſios fuiſſe appellatos; & Harudum oppidum illud quod nunc vulgo dicitur Rüden an der Hat fuiſſe, mihi ſanè per fit veriſimile. Illos autem tres populos in unum deniq; Marcomannorum nomen coaluiſſe, & Maraboduo iuclyto Duce occupaſſe Bojohemiam, pulſis trans Danubium Bojis, aut in ſervitutem redactis, notum eſt ex Hiſtoriâ Romana: niſi forte Seduſii & Harudes Qvadorum ſibi cognomentum adſciverint propriâ conditâ Republ. Non cedit verò illis interamnatibus terris exiguæ gloriæ, ſi fortiſſimis illis tribus populis primos natales dedit; id quod ego ſuſpicor, non vanâ forte conjecturâ. Idq; etiam ideo, quoniam ipſi illi Marcomanni â Sarmatis Czechis licet Bojohemo ſuo pulſi deniq; videntur illi eſſe, qui occupa-

toNoricoBojoarii post dicti sunt â Bojicis suis priscis sedibus. Francorum partem potissimam iisdem terris originem suam debere, omnino Eminentiæ Vestræ assentior. Utiq; enim & Bructeri, nobilis Francorum populus, etsi quo tempore Francum cognomentum cœpit, ad ripam Rheni ferè circa Vangiones sederit, olim circa Luppiam & Amisiam habitaverunt: quin imo dicti, nisi fallor, sunt ab oppido Brock aut Bruck, quod nunc Comitatui Brocano dat appellationem. Citra controversiam autem Chamavi, & & Ampsivarii illas qvondam terras tenuerunt. Imo illorum oppidum fuisse id, quod nunc Camen dicitur; & Ampsivarios â fluvio quem accoluerunt Amser vel Emser/ ut ab Ambro amne itidem cognominatos Ambrivarios, imo fortassis & Sicambros, dictos; opinor. Utrumqve autem populum Francicum esse certum est & notum. Nescio an Eminentia Vestra â Francico cognomento velit exclusos Angrivarios Tacito usqve adeo celebratos & Chamavis vicinos. Illos diversos esse ab Angris aut Angariis populo Saxonico, in Francicum autem nomen fuisse cooptatos, origine nominis accepto ab Angro fluvio, qui in Ducatu Bergensi Rheno mergitur, post â sese cognominata loca illa Angern/ Angerhaußen/ zum Angern: forte non futilibus argumentis probari potest. Utrum & Frisii mei, & qui Visurgim inter & Albim degunt, Franci unquam audierint, mulum equidem dubito. Cattos verò constat nomen Francicum induisse; nec fortè difficile probatu, non tam Hassos, qvam illos ipsos qui post orientales Franci, nunc simpliciter nobis Francken vocantur, Cattos olim nuncupatos. Omnes porrò Francos in Germaniâ TransRhenanâ olim vixisse, & eorum solos illos, qui inter Rhenum & Visurgim floruerunt, relictis patriis sedibus, Rhenoqve trajecto

jecto in Galliam commigrâſſe, pridem judicavi, ac proinde Eminentiæ Veſtræ hâc etiam in re non poſſum non applaudere. Utinam non diſpliceant viciſſim Eminentiæ Veſtræ quæ â me libro de origine Juris Germanici de Francis illis priſcis, eorumq; legibus cumprimis cap. VII. ſunt diſſertata; nec enim vel nunc eorum qvicqvam muto: niſi quod legem Salicam in Ripuariis, non autem in TransRhenanis noſtris terris eſſe latam, fecerint me poſtea ſuſpicari nomina villarum iſtarum ubi lex illa fertur condita, reperta parum diſtantibus ſpaciis in Germaniâ ſecunda circa Moguntiacum & Oppenheimium. Cum ante qvinquennium miſerim librum illum, fortaſſis adhuc in Eminentiæ Veſtræ latet Bibliotheca. De Saxonum originibus & in veſtram μεσοπλαμίαν adventu ſententiam Eminentiæ Veſtræ itidem approbo. Et quoniam libro de antiquiſſimo Helmeſtadii ſtatu eandem prolixius propoſui, mitto nunc illum: etſi ne morer Eminentiæ Veſtræ juſſa & deſideria, cogar illum incomptum tradere. Quæ magis propria ſunt Paderbornenſia, merentur ſanè ſingularem aliquam laudationem, quoniam & natura ipſa quædam ſua miracula illis oris largita eſt, & humanarum rerum multa per eximia ibi acciderunt. Cum ab Agrippinenſibus redux & non multò ante terras iſtas peragrarem, magnâ etiam ipſemet cum animi voluptate in memoriam mihi revocavi, de Romanorum & Caroli M. geſtis antehac ſtudioſè mihi lecta. Per item oculos affecit mirus Padræ fluminis ortus. Longe maximum proinde gaudium mihi pepererunt Eminentiæ Veſtræ Poëtico & Hiſtorico calamo illuſtrata Paderbornenſia monumenta. Quo Illuſtriſſimæ manus dono annus me ſuperior ditavit. Enim verò ex eo quæ jam tum noveram longe viſa ſunt ſolitò ſplendidiora & certiora; alia quam plurima primùm

di-

didici. Omnia coram quasi spectata animo apparuerunt. Usqve adeo illa exemplo nunc carens Epigrammatum rotunda suavitas eorumq; longè eruditissima ex Historicis depromta illûstratio, me delectavit. Cum ex transmissis pagellis itaq; intellexerim, non tantùm illius libri novam editionem in Batavis institui, sed multa etiam hactenus intacta secundis curis ornatiora proditura, incensum in me est grande omnium istorum desiderium. Proindeq, acceptis Eminentiæ Vestræ literis, nihil mihi fuit prius, qvam in Henrici de Herfordia libros inquirere; sicubi fortè illi apud nos reperiantur manuscripti (typis enim nunquã sunt editi) quo justæ exspectationi quantum in me est, satisfaciam. Nec verò non etiam ipsemet auguror, hominis illius in viciniâ nati labores Paderbornensibus illustrandis posse inservire. Verum in Juliâ nostrâ Bibliotheca Henricus ille non comparuit. Quid super eâ re consultus Meibomius noster responderit, mitto: nec memini ejus libri aliquod visum in thesauro Augustæ Bibliothecæ exemplum. Inquiram tamen & ibi diligenter. Videtur autem & inventu rarior esse, ac proinde nec τῷ παίνῳ Vossio inter Latinos historicos memoratus, imo per errorem creditus idem cum Henrico de Erfordia, homine nihil minus quam Historico. Verum quid in Augusta Bibliotheca sim reperturus docebit tempus. Mitto autem hâc vice, qui recentissima hic cura prodiit in lucem, Engelhusium: quandoquidem & ille in vicinia est genitus & diligenter satis res patrias persequitur pro captu ævi: & hactenus Typographum non invenit. Utinam possit ille Hervordiensis locum explere Vestræq; Eminentiæ exspectationem! Quod si porrò aliud quid demandatum mihi fuerit, curabo illâ qva par est sedulitate. Nec enim magis temerè quid in votis, quam inservire præcla-

claris ſtudiis Principis, cui eruditione parem aliquam multis ſeculis non vidit Germania, imo cui in vulgo eruditiorum nemo hodie antecellit, cum Poëtica facundiâ tum Germaniæ antiquitatum exactâ peritiâ. Non dubito autem in nova iſtac monumentorum editione actum iri & de Piermontanis; eoqve poſſe me tandem intelligere, verumne ſit quod credidi hactenus; nomen Comitatus illius eſſe merè Gallicum Piermont ſignans lapideum aut petroſum montem: ac proinde illos, qui antiquis chartis Comites audiunt de monte Lapideo, Piermontanos Dominos veteres eſſe. Fortè quod eorum conditor ex Galliâ iſtuc venerit, & locis illis fuerit donatus à Ludovico Pio, quo tempore ex Aurea Gallorum Corbeia noſtram Saxonicam conſtruxit. Quin & docebit me ſpero illa monumentorum ἔκδοσις, quid ſentiendum de Irmenburgo Comitatus illius; ab Arminione acceperit nomen, quod hodie nonnulli opinantur, an ab Irmin Saxonum Deaſtro, quod mihi eſt veriſimilius. Nec vero Arminii aut Harminii vox non eſt diverſa ab Irmin, etſi ſono affines. Nec ipſe Arminius vel auſus fuiſſet arcem condere ſui nominis; niſi trahere huc velis quod Tacitus memorat: Arminium *pulſo Maraboduo & abſcedentibus Romanis Regnum affectaſſe, ac libertatem popularium habuiſſe adverſam*, ut arx in libertatis frenum exſtructa fuerit, mox à popularibus everſa; quorum & dolo peremptus eſt Arminius. Nec deniqve Cheruſcorum vis fortaſſis adeo longè extra proprias ſedes fuit diffuſa, ut arce fuerit opus ad vicinos populos intra ordinem coërcendos. Ex adverſo Irmini cultum Saxonicis in terris imprimis fuiſſe familiarem, certiſſimâ conſtat Hiſtoriarum fide. Non dixerim tamen à Carolo M. hic perinde ut Eresburgi fanum aliquod Idoli illius fuiſſe deſtructum: quoniam nihil tale ævi illius annales

memorant, ut nec castri alicujus ullam faciant memoriam, ac proinde jam ante Carolum destructum forte fuerit. Cæterum illa omnia luculente docebit me, scio, V. Eminentiæ nova ista monumentorum editio, ut alia quam multa hactenus mihi ignorata. Quapropter etiam illa atqve etiam à me desideratur. Hæc autem ubi Diœcesi suæ Eminentia V. contulerit beneficia, speraverim daturam eandem luci publicæ, & illud Epistolarum Innocentii tertii Papæ volumen, quod ex Vaticana Bibliotheca descriptum & Serenissf. sanctæ memoriæ Duci Augusto communicatum aliquot ante annos cum curâ perlustravi. Exspectare illud jussi virum & multiplici doctrinâ & scriptis editis longe clarissimum Stephanum Baluzium Remensem Canonicum, qui jam à Bibliothecis est Lutetiæ Parisiorum magno illi Regio Ministro Colberto. Idqve qvoniam & ipse proposuit, sex libris Epistolarum Pontificis illius jam editis, alios quatuor nondum emissos in lucem, sibi autem à Francisco Busqveto Episcopo Monspelienſi ex veteri Codice ms. Bibliothecæ suæ suppeditatos, adjungere. Quod si Eminentia V. maturare suam illam editionem voluerit, forte poterit Baluzius quiescere: sui illi libri præsertim si nihil habeant novi. Si tamen defuerit otium ipsimet Eminentiæ V. in curandam hanc editionem, fortassis haud fuerit abs re optimi illius & doctissimi Viri consilium adjuvare. Innotuit ille indubiè jam tum Eminentiæ V. variorum librorum publicatione: multa alia præclara meditatur, eaqve inter Conciliorum παραλειπόμενα. In quibus omnibus ex Academicâ nostrâ Bibliothecâ ut & aliunde soleo pereximio illi Viro meam operam commodare. Ubi Eminentiæ etiam V. placuerit, magnos & utiles conatus tanti Viri suis, quibus abundat, literariis divitiis adjuvare, poterit mea in id opera uti. DEUS, Eminentissime

sime Princeps & vitam & quietem à turbis prolixam bono publico largiatur. Eminentiæ V.

Helmestadii 24. Julii. Anno 1671. *humillimè devotus*
Hermannus Conringius.

P. S. Edidi hoc anno quædam de Piscinis, ut anno præcedente Hermetica mea secundis curis aucta: si & talia non aspernetur Eminentia V. mittentur proximè.

IX.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS Coadjutor Monasterienſis.

S. P. D.

Cl. Viro HERMANNO CONRINGIO.

PRolixius responsum ad literas tuas, mi Conringi, XXIV. Julii datas in aliud tempus magis vacuum curis rejicio, nunc gratissimo librorum tuorum dono poemata mea recens edita & hodie Amstelodamo allata rependo, adjectis aliquot aureis nummmis, ut sine incommodo tuo unum eorum exemplum Bibliothecæ Augustæ, alterum Juliæ inferendum & tertium Henrico Meibomio offerendum cures compingi, cætera tibi reserves. Ubi monumenta Paderbornensia, quæ jam sub prælo Amstelodamensi gemunt, in lucem prodierint, non etiam indonatus abibis. Si Henricus Meibomius in animum induceret, ut quæ ex libro pergameno apud eum descripta Henrici de Hervordia monumenta extant, nobiscum communicarentur, ut in rem nostram nonnulla ex iis excerperemus, non solum hæc opera nobis grata & instituto nostro fructuosa accideret, sed etiam gratitudinem nostram Meibomio maximè de-

vinciret. Quare unicè te rogo, ut per nuncium, qui has ad te perferet, Hervordiensis illius reliquias huc mittendas cures, & de fide restitutionis apud Meibomium caveas. Cæterum tantum de benignitate Principis Wolffenbutelensis mihi polliceor, ut non invitum fore confidam, ut si Hervordiensis integer in Augusta Bibliotheca superstit, ejus nobis fiat copia. Vale & Henricum Meibomium, cujus avo, utpote Lemgoviensi, diœcesis mea gloriatur, plurimum meis verbis jube salvere. Quæ de piscinis nuper edidisti, ut omnia ingenii tui monumenta maximi facio, avide desidero una cum Hermeticis tuis. Vale iterum iterumque. Neubusii ad confluentes Luppiæ & Alisonis. III. Aug. MDCLXXI.

X.

EMINENTISSIME ET ILLUSTRISSIME PRINCEPS.

Domine Clementissime.

NOn inacceptas fuisse literas meas, iisqve Eminentiam Vestram vacuo à curis tempore aliquid reposituram, plurimum gaudeo. Et verò eorum, quæ attuli, accuratam censuram unicè desidero: à sola autem Eminentia V. poterit illa institui; à nemine profectò rectius; quia in isthoc Antiquitatum Patriæ studio nemo par sit, nemo secundus, plerisqve talia fastidientibus. Interea mirificè exhilaravit me nuperrimus fasciculus, Eminentiæ V. manu exaratis literis imaginibusqve, quibus nihil mihi pretiosius, ut & aliquot Poëmatum novæ editionis exemplis, nec non aureo deniqve munere opulentus. Ideoqve pro isthac mihi exhibita Principali beneficentia gratias ago immortales. Poëmatum libellos, (fateor) præ multis negotiis, hactenus tantum licuit currente ut sic dicam oculo perlustra-

re

re: etiam sic verò suavitas carminum potuit tædium omne molestiarum discutere. Simul accepi autem, statim libellos omnes Bibliopegicis operis excolendos commisi: ab iisqve jam jam exspecto. Sequar verò in iis distribuendis ante omnia Eminentiæ V. jussa: adeoqve quantocyus unum Augustæ, alterum Juliæ nostræ Bibliothecæ, tertium Meibomio reddam, mihi quartum reservabo. Reliquos tres in Galliam destinavi: unum Regiæ, alterum Colbertinæ, tertium Cappellanæ Bibliothecæ consecrandum. Quibus addam duo exempla imaginis; tertio mihi retento, magnorum Regum & Principum, qui me patrocinio sunt dignati, aliis addendo. Quam rem viris in Galliâ præclaris scio quidem futuram acceptissimam (nec enim in Principum aut Episcoporum ordine qui paria possit præstare, quisquam vel ibi, quantumvis præ Germania nostra Episcopis doctis abundet Gallia, invenitur) spero autem nec Eminentiam V. consilium meum improbaturam. A Meibomio nostro facilè impetravi, quæ Eminentia V. desiderat; igitur ille non Hervordiensem duntaxat, sed quædam avita ac sua pariter cum Epistola jam me curante exhibet. Cum novissimè Wolfenbutteli expedienda mihi negocia essent, quæsivi quidem in Augusto illo longè locupletissimo librario thesauro Hervordiensem istum; sed frustra fui. Adeo inventu rarus est. Quid autem? An Eminentia V. splendido suo aureo dono devincire me amplius sibi tentavit? Ego verò sanctè juro, inusitatâ vestra virtute & doctrinâ motum, pridem me sponte in Eminentiæ V. servitutem concessisse, neqve illi affectui quidquam addi posse. Apud me ergo illud quidem multo quamvis auri effici nequit: quoniam indicio tamen est singularis cujusdam Principalis gratiæ in literarum cultorem, crevit Eminentiæ V. virtutum

Digitized by Google

admiratio, ut in posterum liceat majore animi confidentia debitum præstare obsequium. Id quod factum iri, uti certò sibi persuadere etiam V. Eminentia dignetur, omnem in modum oro & obtestor. Mea Hermetica & Piscinaria mitto. Non quod sint tanti, sed quia intelligo non inaccepta futura. Utinam simul usum aliquem saltem aquis vestris afferre sint idonea illa Piscinaria; cum præsertim per Visurgim fortasse liceat pisces marinos nonnullos in lacus aut stagna vestra more Romano antiqvo transferre! Quæ de Ægyptiorum sapientia lib. Hermeticorum primo differui, si non displiceant limatissimo Vestro judicio, dabo propediem libellum alium de sapientia veterum Chaldæorum: etsi hodie nullum talia Reip. adferant commodum. Chemicarum dissertationum secundi libri examen Rottendorfius Vester V C. possit quam optimè instituere si grave non fuerit. Nostræ Juliæ schola Medica gloriatur adhuc isthoc alumno: ipsi ego mollem precor & vegetam senectutem. Eminentiæ V. etiam atq; etiam opto consimilem valetudinẽ & felicia quæq;

Eminentiss. & Illustriss. V. nomini

Helmstadii 13. August, Anno 1671.

atatem omnem devotissimus

Hermannus Conringius.

XI.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS Coadjutor Monasterienſis.

S. P. D.

HERMANNO CONRINGIO

Viro eruditissimo,

Libellum poematum meorum cum imagine acceptum tibi fuisse, ejusque tria exempla in Gallias à te missa unicè gaudeo,

deo, nec minus me libelli tui nobis donati, quam Analecta Hervordienſis ab Henrico Meibomio impetrata exhilararunt, quæ Germanâ fide hero ſuo reſtituam. Interea tria poematum exempla, ne humanitas tua tibi ſit damnoſa, reddimus tibi, dum aliam optamus occaſionem officio & amori erga me tuo reſpondendi. Piſcinaria primo ſtatim aſpectu valde me oblectarunt. Utinam Rottendorffius olim noſter, qui ante paucos menſes octuagenario proximus, aſperrimis, ut ait Plinius, cruciatibus calculorum â ſtillicidio veſicæ extinctus, magno meo luctu & literarum detrimento diem obiit, Hermetica tua perlegere & de Chemicis diſſertationibus tuis judicare poſſet! magnopere certè eruditionen & intimam Medicinæ peritiam tuam deprædicaret. Vale mi Conringi & me ut facis ama. In Collino meo. XXI. Aug. MDCLXXI.

XII.

EMINENTISSIME ATq; ILLUSTRISSIME PRINCEPS.

Domine Clementiſſime.

OBſecutus Eminentiæ Tuæ mandato librum unum Poëmatum Tuorum Auguſtæ Bibliothecæ inſerendum obtuli Sereniſſimo Principi ac Domino meo Rudolpho Auguſto; alterum noſtræ Juliæ Bibliothecæ Eminentiæ Tuæ nomine conſecravi; tertium Meibomio dedi; tres ceu promiſi, meo in id uſus conſilio, in Galliam curavi; uno mihi retento. Quo animo donum exceperit Sereniſſimus Princeps, indicant literæ. Quarum ἀυτόγραφον mittere, judicavi non abs re futurum: uti nempe etiam Eminentia Tua certò ſibi queat polliceri Optimi illius Principis in cultum ſinceræ amicitiæ propenſionem. Quod ſi placuerit, etiam alterum, qui expetitur in familiario-

riorem usum libellum, aut etiam Principalium literarum aliquid meæ curæ committere, Eminentiæ Tuæ in id promptum ministerium & obsequium meum offero. Felicem prædicaturus me, si ad intimiorem Tantorum Principum amicitiam quidquam contulerim. Academia nostra pro honore sibi exhibito ipsamet gratias aget propediem: interea illius nomine Eminentiæ Tuæ habeo maximas. Idem mihi injunctum iri ex Gallia, equidem non dubito. Etsi enim illud Regnum multis Episcopis eruditis floreat, qui paria tamen Eminentiæ Tuæ bonarum literarum peritia fecerit, scio reperiri neminem. Is quem jam antehac laudavi Stephanus Baluzius Remensis Canonicus misit mihi libros aliquot ab se editos, interque eos novam ἔκδοσιν operis Illustrissimi quondam Archiepiscopi Parisiensis Petri de Marca de Concordia Sacerdotii & Imperii: jamque parat editionem Capitularium Francorum Regum secundæ familiæ. Optaverim, esse illud Marcæ opus & Baluziana reliqua in Eminentiæ Tuæ manibus. Cumprimis posse ex librario Thesauro Tuæ Eminentiæ adjuvari egregium novum illum conatum, perinde atque ex nostræ Juliæ Bibliothecæ mss. quædam propediem abs me mittentur. Capitularia illa de rebus Saxonicis Romæ edita jam tum habet Baluzius, eaque addet reliquis.

Eminentiæ Tuæ

Helmestadii 21. Augusti 1671.

etatem omnem
Servus devotissimus
Hermannus Conringius.

XIII.

Digitized by Google

XIII.

EMINENTISSIME AC ILLUSTRISSIME PRINCEPS DOMINE CLEMENTISSIME.

NOn displicuisse institutum meum tres libros Poematum in Gallias mittendi, equidem gaudeo. Quin imo non dubito, æque illos acceptos futuros atque fuerunt, quos Serenissimo Hero meo Rudolpho Augusto in usum Bibliothecæ Augustæ, & Academiæ Juliæ Pro-Rectori ac Senatui jussu Eminentiæ V. obtuli. Et verò jam tum spero traditum Serenissimi Ducis responsum ante quatuor dies missum, nunc verò mitto & Academiæ nostræ literas. Trium illorum librorum qui in supplementum redditi sunt, unum Serenissimo Antonio Ulrico Duci, alterum Filio ejus primogenito Augusto Friderico, tertium Bibliothecario Academico destinavi. Idque quandoquidem iste non tantum magni æstimat doctrinam virtutemque V. Eminentiæ, sed ipse etiam Germanicæ nostræ Poëticæ felicissimus est in omni genere cultor. Ille Paternis insistit vestigiis; Hic verò Eminentiæ V. inusitatam eruditionem justo novit pretio venerari. Ut proinde confidam, hanc distributionem non futuram V. Eminentiæ ingratam. Piscinaria mea utinam non lectione duntaxat, sed usu etiam aliquando oblectent! Ita sanè memoria illorum possit esse justæ diuturnitatis. Rottendorfium ereptum mihi censorem Paracelsicorum meorum, multùm profectò ceu par est, doleo. Pridem enim etiam ipsemet Viri eximiam cùm aliorum tum Medicæ Artis peritiam feci maximi: simul verò haud ignoro, quàm hodie rarus sit numerus eorum, qui ad illud laudis fastigium attingunt.

Digitized by Google

Addat DEUS Eminentiæ Veſtræ illos quos optimus Senex non peregit duntaxat, ſed etiam longè plures annos meritus fuit.

Helmſtadii 27. Auguſt. Anno 1671.

Eminentiæ Veſtræ
atatem omnem
ſervus obſequentiſſimus
Hermann. Conringius.

XIV.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS Coadjutor Monaſterienſis

S. P. D.

Cl. Viro HERMANNO CONRINGIO ſuo.

Binis epiſtolis tuis diverſo tempore mihi redditis reſponſum debeo. Et primæ quidem magnam mihi attulerunt voluptatem, allato nuncio, quo nos exhilararunt, de Sermi Ducis Rudolphi Auguſti judicio noſtras eſſe aliquid nugas putantis. Quare tuo obſecutus conſilio præſentem libellum ejus nomini inſcripſi, Teque majorem in modum rogo, ut de noſtro erga Principem optimum obſequio fidejubeas, ubi fuerit neceſſarium. Ex alteris literis tuis quando nunc iterum intelligo, meis Muſis, te interprete, tam magnos conciliari patronos, ut porro de noſtris ſtudiis bene mereri poſſis, nonnulla inſuper poematum exempla ad te mitto aliis donanda, quibus adjicio hunc libellum, qui etſi Pariſiis ſit recuſus, prima tamen incunabula debet Romæ, ubi in lucem prodiit, & mihi eſt nuncupatus. Accepi etiam ex Urbe inter alios libellos inde ad me miſſos Codicem Regularum quas Sancti Patres Monachis & Virginibus Sanctimonialibus ſervandas præſcripſere & Lucas Holſtenius digeſſit in tres partes ediditque, opus vicinis veſtris

Digitized by Google

ſtris Cœnobitis, quam veſtræ Academiæ utilius. His adjecit Emmus Cardlis Franciſcus Barberinus, ſingularis literarum & literatorum Virorum fautor, Collectionem Romanam bipartitam, veterum aliquot hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentorum ab eodem Luca Holſtenio concinnatam & notis illuſtratam, cujus unicum mihi ſupereſt exemplar, alterius vero de Codicis regularum complura ſuppetunt. Vale mi Conringi, & Academico veſtro Senatui redditis biſce literis, etiam tuis verbis meam gratiarum actionem proſequere. Neuhuſii XV. Septemb. MDCLXXI.

XV.

EMINENTISSIME ATq; ILLUSTRISSIME PRINCEPS.

Domine Clementiſſime.

SImulatqve redditæ ſunt Eminentiæ T. clementiſſimæ Literæ, nihil mihi fuit prius, quàm exemplum Duci Rudolpho Auguſto deſtinatum per tabellarium curare: neqve dubito, munus illud fore à tàm amica manu longe gratiſſimum. Reliquorum exemplorum duo in Daniam, commodâ ſeſe perquam tempeſtive offerente occaſione, ſtatim itidem miſi, alterum Regiæ Bibliothecæ, alterum Griffenfeldii, Excellentiſſimi cum dignitate tum eruditione Regii Miniſtri armariis conſecrans. Tertium dedi genero meo, ſummo Eminentiæ Tuæ incomparabilis atqve inuſitatæ eruditionis admiratori: cujus muſteum librum argumenti rariſſimi vicisſim jam mitto. Spero autem in horum quoque trium exemplorum diſtributione nihil quod Eminentiæ Tuæ diſpliceat à me commiſſum. Senatui noſtro Academico gratiſſimus fui, oblatione literarum Eminentiæ Tuæ, utpote ſingularis Clementiæ & favoris Princi-

palis locupletisſimorum teſtium. Eoqve, ceu ſui juſſus, eâ, qua par eſt reverentia, Senatus illius nomine ago gratias, utque Eminentia T. affectum illum velit perpetuum eſſe, etiam atqve etiam rogo.

Muneri mihi deſtinatus liber plurimùm me delectavit, non tantùm quod a tanto Principe veniſſet, ſed &, ſi quidem licet dicere quod res eſt, ſuo cumprimis argumento. Quoniam Paraſceve Dominicæ diei, ut aliàs, me invitaret (ſera enim veſpera mihi eſt traditus libellus) ad ſacros labores, confeſtim illum quo potui ſtudio volvi: & meo ingenio longè acceptisſimum magna cum animi voluptate deprehendi. Pridem ſcilicet ſuſpexi eruditionem eximiam Holſtenii: quæ & in opere hoc poſthumo certè ſplendet: cujus veſtigiis cum inhæreat Poſſinus non infeliciter, etſi fortè non pari paſſu, non potuit non & ille mihi multùm placere. Cæterùm quàm maximè gratum fuit ſacrum libri totius argumentum, primæ & verè aureæ Eccleſiæ, atqve ad cujus mores meritò omnis etiam hæc noſtra ætas eſt componenda, acta moresq; haut parùm illuſtrans. Fraſtidii libellus dudum mihi fuit obſervatus inter ſpuria S. Auguſtini: ſuo auctori illum Holſtenii curâ eſſe redditum gaudeo. Acta paſſionis Sanctarum Martyrum Perpetuæ & Felicitatis planè mihi nova ſunt: etſi pridem ſint lecta, quæ ad Martyrologium de iis commentatus eſt Barronius, & narravit Petrus de Natalibus. Hæc ipſa Acta eſſe lecta in Eccleſiis Africæ ſaltim S. Auguſtini ætate, per etiam mihi eſt veriſimile. An & Tertullianus illis fuerit uſus, dubium me reddit ipſum illud quod pag. 38. ex libro de Anima laudatur teſtimonium, referens, *Perpetuam ſub die paſſionis in revelatione Paradiſi ſolos illic Commartyres ſuos vidiſſe*: quale quid in hiſce Actis non reperio. Imò in viſione Saturi, qua Paradiſus

eſt

est oblatus pag. 24. disertè sic legitur: *Et cæpimus illic multos fratres cognoscere, sed & Martyres.* Non temerè etiam Tertullianus passus fuisset elabi sibi, quæ de vulnere & cicatrice faciei Dinocratis hìc narrantur pag. 14. & 16. ad probandam suam, de animæ corpori conformi substantiâ, sententiam: nec enim ab aliis hæc esse neglecta, apparet vel ex iis, quæ ex l. 4. de Anima S. Augustini adducuntur pag. 53. & 54. Alia igitur esse hæc Acta ab iis quæ Tertulliano fuerunt in manibus, per est simile vero: atqve adeò, ut recentiora, minus certam mereantur fidem. Sed & hæc ipsa Acta jam S. Augustinus à Canonicæ Scripturæ auctoritate multùm differre, nec in eo esse ordine ut inde in quæstionibus fidei testimonia proferri queant, disertè docuit. Quod Sancti illius Doctoris judicium in hoc libello pag. 50. & 52. legens, haud injuria improbabit fortasis, quæ Holstenius pag. 131. & 136. Possinus pag. 183. ausi sunt asseverare. Me verò etiam illud de Dinocrate sollicitum habet, quomodo ille pœnis fuerit per preces sanctissimæ Martyris liberatus, cum videatur sacro lavacro non ablutus. Habuit enim utiqve ille cum viveret parentem utrumqve idololatram. Imò & soror Perpetua cum utroqve fratre hæsit tum adhuc in illo luto: alter enim fratrum demum Martyrium subeunte Perpetuâ fuit catechumenus, & Perpetua baptizata paulò ante quàm caperetur, quod legitur pag. 6. Puerum itaqve illum Dinocratem ante obitum fuisse baptizatum, non est verisimile. Nec S. Augustinum de Baptismo illius fuisse certum, liquet ex pag. 51. & 52. &c. Vincentium pariter ac Renatum, ausos ex illa Dinocratis historia, promittere etiam in Paganismo defunctorum animabus aliquam per Sanctorum preces ex infernalibus cruciatibus redemtionem, manifestum est. Quod equidem non miror, cum illa ætate, S. Augu-

stino in Enchiridio ad Laurentium teste, *nonnulli imò quàm plurimi æternam damnatorum pœnam, & cruciatus sine intermissione perpetuos, humano miserati sint affectu, atq; ita futurum esse non crediderint*: ipsemet etiam S. Augustinus permittat credi, *pœnas damnatorum certis temporum intervallis mitigari.* Non possum non Eminentiæ Tuæ hîc recitare quæ Vir doctissimus Dionysius Petavius l. 3. de Angelis c. 7. §. 7. scribit: *cum appareat, non satis in errore constantem fuisse Origenem, ac trifariam omnino eum exposuisse, ut aut diabolos ac dæmones pariter ac damnatos homines salvos aliquando fore diceret: aut solo excepto principe dæmonum diabolo, cæteros omnes: aut denique solos homines, diabolo & Angelis ejus in perpetuum rejectis. Priores opiniones duas pauci Catholicorum amplexi sunt.* Paragrapho octavo ait: *de diaboli ac dæmonum pœnis terminandis futuraq; liberatione pauci assensi sunt Origeni: de damnatis hominibus plures imitatores habuit opinionis suæ, nondum per illa tempora hæresis inustæ notis. Quam quidem non eadem firmitate omnes adsciverunt: quidam enim plenius, levius alii & quasi cunctanter assensi sunt.* Primo ordini accenset mox Gregorium Nyssenum & auctorem commentariorum in Epistolas Pauli qui Ambrosio tribuuntur, quem esse Hilarium Romanum Damasi Pontificis Diaconum constat jam eruditis: alteri Hieronymum, Ambrosium, Gregorium Nazianzenum & Arnobium. Jam tùm porrò multis fuisse persuasum, precibus sanctorum ab inferni cruciatibus posse animas etiam paganorum liberari, indicant utiqve passim illa, quæ in ore vulgi fuisse ex Damasceno constat, de liberatis per S. Theclam Falconillæ & per S. Gregorium Trajani animabus: idem scilicet attestante vita B. Theclæ, & quam Basilius Seleucienſis Isauriæ Episcopus conscripsit à Petro Pantino edita, & quam

So-

Sophronius habet. Si ergo & suis precibus fratri defuncto, quamvis non Christianum in ordinem per Baptismum recepto, ex inferno liberationem aliquam impetrari posse crediderit Sanctissima Perpetua, non profecto vitio hoc verti illi potuerit, in illa communi tum adeo quamvis optimorum sententia: æqvumq; fuerit, condonare fœminæ, hactenus catechumenæ, & sororio tenero erga defunctum puerum fratrem affectui. Verum ita non fuerit divina revelatione Sanctissimæ Perpetuæ patefactum, quod de Dinocrate pœnis liberato in Actis istis commemoratur: Sed fortè insomnio, respondenti pio vigilantis de liberando fratre sibi quondam tenere adamato voto, imputandum; quod tamen visionis cœlestis loco habuerit sanctissima fœmina per errorem. Quale quid & tunc frequentissimè factum, & contingere hodieqve, notum est prudentioribus. Hoc sane, malim dicere, quàm fictionis & falsi accusare notis insertam illam Sanctissimæ Martyris de suis insomniis narrationem. Absit enim, ut de tam antiquo monumento Ecclesiæ, lectionibus publicis alicubi recepto, sequiora suspicer. Nisi fallor tamen, ob illa de Dinocrate suspecta narrata, ab Ecclesia Romana nunquam in sacros usus Acta illa sunt recepta. Nec enim illa aliàs delituissent hactenus in unius Casinensis Monasterii tenebrosis loculis. Quantumvis autem, me quidem judice, illa sint qualia dixi, perquam tamen grata sunt; quandoquidem saltim illud, quo fervore martyres olim sacrum illum agonem peregerint, docere, atqve adeo ad parem constantiam me quoqve roborare tam illustribus exemplis, apta sunt. Ac proinde pro libello isto Eminentiæ Vestræ ago gratias quas possum maximas. Eorum quæ ex Urbe accepta memorantur, hactenus itidem vidi nihil. De Codice Regularum Holstenia-

niano accepi tamen aliquid jam tùm ex Ephemeridibus Gallicanis rei literariæ, atqve ex doctisſimo Commentario Steph. Baluzii ad Reginonis libros de diſciplina Eccleſiaſtica, noviſſime Pariſiis editos. Unde mihi illius operis comparandi magnum eſt deſiderium incenſum. Cœnobitis noſtris Ludgerianis vereor ut poſſit eſſe uſui illius lectio: etſi enim non male ſe gerant, ſintqve mihi iſthoc nomine peraccepti, ad veteres tamen iſtas rigidas regulas illos velle componere, neqve patiuntur tot Pontificum quas vocant diſpenſationes, & pridem uſu probatæ diverſæ vivendi conſuetudines; neqve æqvum nunc fuerit. Mihi vetera illa ſaltim noviſſe per eſt jucundum. Atqve adeo hoc ipſo tempore, in Baluzii, meditantis accuratam novam Capitularium Caroli Magni filiorumqve editionem, amici mei petentis gratiam, quæ de vita Canonicorum ſanxit Ludovicus Pius, per utiqve ſevera & à noſtris moribus toto cœlo diverſa, qualia habentur in Tomo ſecundo Conciliorum Galliæ à Sirmondo edito & in Academiæ Juliæ Mſſ. membranaceis, magna cum voluptate confero. De reliquis ex Holſteniana Bibliotheca ab Eminentisſimo Cardinale Fr. Barberino depromptis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis, nihil vel fando hactenus accepi. Utriuſqve operis non mihi duntaxat ſed Academicæ etiam Bibliothecæ cura erit comparandi. Utinam verò Tuo illi mihi longè acceptisſimo dono poſſim aliquid non minus dignum Eminentiæ Tuæ oculis reponere! Nunc tamen nihil mihi tale ad manum cum ſit, majorem in modum obſecro, ne ferat ægrè ſibi offerri vilia iſta quæ mitto: quæqve adeò à typographicis operis adhuc madent ut bibliopegorum prælum non ferant. Quod ſi haut diſplicuerint, ſequentur fortaſſis mox alia notæ melioris. Deum obſecro, ut

bono

ut bono publico Eminentiain Tuam in ſeram uſqve ſenectutem felicem conſervet.

Eminentiæ Tuæ

Helmeſtadii 26. Sept. Anno 1671.

ætatem omnem devotiſſimus

Hermannus Conringius.

P. S. Jam jam obſignaturo haſce Litteras offertur Epiſtola N. N. optimi ſanè & doctiſſimi. Partem à me excerptam mitto; quo Eminentiæ Tuæ liqueat, quanto illa etiam apud hunc ſit in pretio. Operam dabo ut & hujus Germanica, dramatici etiam generis, opuſcula Eminentiæ Tuæ reddantur, & major ſolita amicitia Vos inter in bonum publicum coaleſcat.

XVI.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS Coadjutor Monaſterienſis S. P. D.

Cl. Viro HERMANNO CONRINGIO ſuo.

TAbellarius veſter, mihi ad Viſurgim Beverungæ animi remittendi cauſa commoranti, literas tuas 26. Septemb. datas reddidit, quibus citius dediſſem reſponſum, niſi Neuhuſium reverſus Codicem Regularum ab Holſtenio editum una ad Te mittere decreviſſem, quem bis adjunctum ac Bibliothecæ tuæ donatum tuis cymeliis literariis accenſeas velim. Adjungo collectionem Romanam, cujus cum unicum hoc exemplum ad me pervenerit: mihi, ubi commodum fuerit & lectum, cupio remitti. De poematibus meis, quæ in Daniam deſtinaſti &

Digitized by Google

alia in loca misisti, plurimum tibi debeo, ac summopere Te rogo, ut data occasione hocce exemplar Vito Beringio Regis Daniæ Historico, siquidem adhuc ætherea vescitur aura, tradendum cures, qui si ad plùres abiit, Tuum esto hoc donum. Cæterum animadversiones in notas Holstenianas passionis SS. martyrum Perpetuæ & Felicitatis valde sunt eruditæ, ac dignæ quæ cum Possino communicentur. Certè ipsarum SS. Martyrum memoria in Ecclesia Romana jam olim fuerit inprimis celebris, utpote quæ Canoni Missæ, quod paucis sanctis obtigit, nominatim fuit inserta, & hodie dum recolitur. De honore, quem Sermus Princeps N. N. musis meis habere dignatus, plurimum etiam Tibi me debere profiteor. Ejus Principis poesin sacram mihi nuper dono dedit Hardenbergius Cellensis olim Minister primarius. Cætera dramatici generis adhuc desidero. Ut primum monumenta mea Paderbornensia prodierint, non negligam occasionem eadem cum hoc Principe communicandi; ut, qui meas esse aliquid putat Camœnas, historica etiam nostra recognoscat. Interim majorem in modum opto, ut de benigno judicio eidem Principi meis verbis in antecessum gratias agas, ac significes, me illius amicitiæ percupidum nullam omissurum oportunitatem mea eidem officia probandi. Vale meque, ut facis, ama.

Neubusii XXX. Octobr. MDCLXXI. De libris, quod pœne exciderat, ad me missis gratias itidem tibi ago. Vale iterum iterumque & Henrico Meibomio nostro dicito, ejus etiam libellos, perquam mihi acceptos & gratos accidisse.

XVII.

XVII.

Clarissimis & doctissimis Viris

VICE-RECTORI & PROFESSORIBUS ACADEMIÆ JULIÆ HELMESTADII.

CLARISSIMI ET DOCTISSIMI VIRI

REdditæ sunt nobis vestræ literæ humanitatis & immeritæ laudis plenæ, quibus nomine totius Academiæ significatis libellum poematum nostrorum traditum vobis esse, & quod multò gratius accidit, admissum benevole inter Lycei vestri armarium interq; tot eruditos & præstantes nostrâ ætate scriptores vestros inveniße etiam locum aliquem, ex quo aliquando in manus legentium nostra sumantur. Non id quidem partus ingenii nostri meretur, tenui ac juvenili antebac venâ Romæ maximam partem effusus parumq; exinde per succisivas horas animi gratia formatus: ut tamen ad vos aditum haberet, fecit clarisimus & eruditisimus sæculi nostri scriptor, HERMANNUS CONRINGIUS, decus ac splendor Academiæ vestræ, mihiq; hactenus ex his ipsis humanioribus studiis familiaris. Tum vel maximè si quid ex meis lucubrationibus sit dignum oculis vestris, id cumprimis, ut vestris judiciis deferretur, poscebat à me jure suo æstimatio florentisimæ apud vos Academiæ Juliæ, quæ à primis statim exordiis suis omnium exinde disciplinarum & liberalium artium viris mirificè exculta floruit, ut dubium mibi nunquam fecerim fore inter vos, qui hæc mansvetiora literarum studia ac commercia ex æquo bonoq; probaturi essent, ut quantum gentis Saxonicæ affinitate & locorum vicinitate, tantum amore quoq; bonestarum artium conjungeremur: præsertim cum optima pars vitæ inter amœni-

nitates ſtudiorum quæratur, beatosq; cenſeat Plinius, quibus Deorum munere datum eſt aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda, beatiſſimos verò quibus utrumq; obtigit. Nobis in poſtremo, etiam quantum publicæ Principis curæ patiuntur, conſiſtere ſatis erit. Monumenta, quæ maturiori aliquo ſcriptionis genere, & patriæ illuſtrandæ bono dedimus, à vobis pari benevolentiæ ſignificatione recepta eſſe, haud minus nos oblectavit. Prodibunt illa brevi aucta lucubrationibus quibusdam, & ſi denuo vobis offerantur alia veſte induta, prorſus confidimus accepta fore, quando cum bis ſimul debita vobis benevolentia defertur. Neubuſii ex arce noſtrâ XV. Septemb. M DC LXXI.

Veſtri

Studioſiſſimus

FERDINANDUS EPISCOPUS

ac Princeps Paderbornenſis, Coadjutor Monaſterienſis.

XVIII.

EMINENTISSIME atq; ILLUSTRISSIME

PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME

JAm conſtitueram die craſtini ordinario uti tabellariorũ officio, eaque occaſione Tibi Eminentiſſime Princeps mittere, quæ nudius quartus ante Lutetia acceperam à Stephano Baluzio, non ſemel jam laudato, nunquam autem ſatis laudando viro. Nec verò Viri optimi & longè eruditiſſimi deſiderium morari velim, nec à quoquam tamen alio, quam ab Eminentia Tua, expleri illud poſſe ſum cer-

certus. Hinc plurimum me exhilaravit nuncius hic: neque ego non ſtatim illum dimitto, ſimul ille advenit. At principio quidem officii mei eſſet, omnibus eloquentiæ artibus uti in agendis ſubmiſſi obſequii gratiis, cum pro novo illo Principali munere, tum inprimis pro continuatione Principalis erga me benevolentiæ. Sed quia verba me deficiunt, & fortaſſis abs me nihil tale exigitur amplius, poſt ſatis exploratum ad omnia juſta ſervitia paratum animum, nolo illud nunc agere. Plurimum verò me delectavit ſaltim inſpectio inſtituta (nec enim ultrà illam hactenus quidem mihi quid licuit) utriusque libri. Legam autem utrumq; diligenter, ubi quid otii fuero nactus, & reddam alterum, additâ quæ decet gratiarum actione. Beringius, niſi vehementer fallor, adhuc eſt in vivis. Certior factus, primâ quaque occaſione mittam Viro Principale munus; quod indubiè erit acceptiſſimum, quoniam, quantum ex libro Adoptivorum Carminum intelligo, jam ille dudum æſtimavit Eminentiæ Tuæ rariſſimas virtutes, in ejusque ſe dedit patrocinium. Exſpectanda verò mihi erit commoda mittendi occaſio: quæ brumali hoc tempore ſolet eſſe infrequentior. Ea ſanè obſtitit hactenus, quare neque ex Gallia, neque ex Dania acceperim quidquam de jam redditis, quos transmiſi Eminentiæ Tuæ libellis. Simul autem aliquid ſignificatum fuerit, ſtatim, prout par eſt, communicabo. Interea verò Serenisſ. Antonio Ulrico indicabo Eminentiæ Tuæ propenſum ad mutuam Principalem amicitiam animum: non dubitans, fore brevi, ut inter vos Tantos Principes propinquior quædam intercedat quaſi neceſſitudo. Monumentorum Paderbornenſium novam illam editionem jam ad finem properare equidem gaudeo. Si fortaſſis autem & huic adjicientur

tabulæ illæ Osnabrugenses & Paderbornenses, quæ in calce primæ editionis reperiuntur, vel aliæ quæ fuerint addendæ, optaverim justam diligentiam in iis exhibendis præstari. Ne quid enim dissimulem, is qui expressit p. 262. Caroli Magni effigiem, perquam oscitanter videtur se gessisse; cum constet Carolum mento fuisse glabro, & barba rara genis adnata. Nec Ludovico Pio debuit laurea à pictore dari, sed fortasis diadema gemmis ornatum, ex more à Constantino M. introducto; quali usum esse & Chlodovæum Magnum scio, de aliis Francorum Regibus non habeo compertum. Ut ad hæc attendam nunc solitò diligentius, facit mihi propositum diploma aliquod, ex seculo nono isthoc quod alii depromunt, alii ὑποβολιμαῖον censent. Qua de re singulari libro fortasse sententiam brevi feram. Non dubito, omnibus cum justâ cura inspectis, si qui fuerint commissi errores, emendari tempestivè posse: ne quæ sinistris suspicionibus præbeatur ansa. Ut autem ad initium Epistolæ redeam, mitto partem Epistolæ, quam illustris Baluzius ad me dedit: rogoque, nisi grave quid obstet, desiderio justo Viri perquàm eximii satisfieri. Atque de Innocentii Epistolis scio, esse illas in manibus Eminentiæ Tuæ & optima fide spondeo, cum æterna Eminentiæ Tuæ laude, illam sibi fortè factam gratiam, Baluzium compensaturum. Num Capitularium Carolinorum apud vos supersint mss. exemplaria, nescio. Quod si tamen etiam huic pio Viri optimi desiderio queat responderi, Eminentiæ Tuæ auctoritate, illud ne negligatur, rogo itidem obsecroque. Juvi ego hactenus Virum quantum potui collatione nostrorum mss. torum: neque dubito, Tuæ quoque Eminentiæ judicio illi æquissimo desiderio nefas esse non obsequi.

Deus

Digitized by Google

Deus ſervet in ſeram ſenectutem Reipublicæ commodo Eminentiam Tuam, cujus ego ſum

Helmſtadii propridie Kalend. Novembris, Juliani Ao. 1671.

ætatem devinctiſſimus ſervus

H. Conringius.

XIX.

EMINENTISSIME ATQ; ILLUSTRISSIME PRINCEPS,

Domine Clementiſſime.

CUm à Serenisſimo Principe mihi mitteretur Epiſtola ad Eminent. Tuam curanda, officii mei, quod utrique Veſtrum debeo, eſſe duxi, ſine mora, quod juſſus ſum, agere. Eoque non exſpectandum Mercurii veſtri reditum exiſtimans, committo haſce Poſtæ, quam vocant, fidei atque induſtriæ. Non dubito autem acceptam fore Epiſtolam illam, non minus atque Serenisſimo hero meo gratisſimus fuit poëmatum liber; & inpoſterum frequentiore literarum commercio confirmatum iri amicitiam, quam vicinitas, & communis Reipub. ſalus exigit. Juſſus equidem & ego ſum, dare operam, ne quid illa capiat detrimenti: ſed, quantum arbitror, non opus eſt ad id mea aliqua opella; Idque mandatum profectum eſt â Serenisſimi Principis tenero erga Eminentiam Tuam ſtudio. Quod ut magis magisque pateat, addo exemplar literarum Optimi Principis ad me exaratarum. Gaudeo tamen, præbitam abs me occaſionem ſolitò frequentius amicitiam mutuo inpoſterum exercendi Vos inter Principes; quin imo, ſi fas fuerit, addam ego calcar agentibus negotium verè ſacrum & longè utiliſſimum.

Mitto

Digitized by Google

Mitto simul partem literarum quas ad me Lutetia dedit Stephanus Baluzius, jam tum sæpius â me Eminentiæ T. laudatus. Illi tum temporis nondum fuerat traditus, quem Colbertinæ Bibliothecæ cum aliis nonnullis consecravi, poëmatum vestrorum aureus libellus : quoniam verò indies pene jam tum ab Illustrissimo Colberto fuit exspectatus, non dubito, pridem & illum rectè curatum proximè mihi significatum iri. Quum sentiat verò Eminentia Tua, quam incensum sit in Baluzii animo Innocentianarum Epistolarum desiderium, spero illi tandem satisfactum iri. Plurimum equidem etiam mihi gratulabor, id ubi evenerit ; quoniam non Baluzius duntaxat, sed ipse etiam Illustrissimus Colbertus intelligent, rectè â me Eminentiam Tuam laudatam, non doctrinæ tantum partæ sed studiose promovendæ etiam, nomine, meamque non nihil valere existimationem apud Principem tantæ dignitatis, pariter & eruditionis ac virtutis. In non immemorem beneficii & optimè intelligentem talium, summæque industriæ Virum, vestram benignitatem iri collatum, ausim sancta fide polliceri. Quod si juverit Eminentia Tua etiam illud Baluzianum de Capitularibus Francorum denuo edendis institutum, factura etiam isthac in re fuerit insigne pretium operæ. Qui Fuldenses Codices consulat, neminem novi: forte etiam nemo ibi reperitur ad exemplum Rhabani Mauri compositus, ut mores â prisco illo ævo degenerarint. Contuli ipse nostræ Bibliothecæ Academicæ Capitularia MSS. si quæ ad manum etiam Vestram fuerint, eorum varias mittam Baluzio itidem ubi accepero.

Quod nuper monui de errore commisso à pictore circa Caroli Magni imaginem, illo pertinet, quod optem illum in nova vestrâ Monumentorum Paderbornensium edi-

editione correctum, quò fides constet diplomati, me judice, genuino. Imago quæ subsequitur Ludovici Pii possit quidem itidem videri justo juvenilior, memini autem & alibi illam videre planè similem. Utinam possit addi etiam Ludovici nostri Germanici effigies integra! nec enim illam hactenus conspexi.

De missis nuper libris scribam pleniùs proximè, fortassis per vestrum Mercurium. Interea legam omnia cum cura, etsi plæraqve jamtum volverim. Beringium intellexi vivere: itaq; mittendi librum primam quamqve commoditatem captabo.

Eminentiæ Tuæ

Helmestadii 30. Novembr. Anno 1671.

etatem devotissimus servus
H. Conringius.

XX.

EMINENTISSIME ATQ; ILLUSTRISSIME PRINCEPS

Domine Clementissime.

MAgna me sollicitudine liberavit Huxariensis V. Mercurius. Cùm enim jampridem à Principali manu Vestrâ nihil acceperim, de minus prospera valetudine graves me curæ invaserunt, vel ne quid respublica detrimenti fecerit, metui. Cùm acceperim jam ergo, omnia esse salva, plurimùm equidem gaudeo: gratias agens immortales Deo sospitatori. Dedi verò ego prid. Kalendar. Decembr. ultimas meas, easqve Postæ qvam vocant commisi: qvoniam, quas addideram literas manu Sereniſſimi Principis mei Rudolphi Augusti ad Vestram Eminentiam exaratas, celerem curationem exigebant. Dubius tamen

Digitized by Google

adhuc sum, num sint illæ rectè traditæ: spero autem meliora, idque me propediem intellecturum. Ego, si fas est adjicere, jam in duobus libris edendis occupor. Alter est de Antiquitatibus Academicis, atque adeò de propagatione studiorum: quem Eminentissimo Nomini Vestro consecrare consilium quidem est, dubito tamen num liceat. Altero censuram instituo Diplomatis quod attribuitur Ludovico Germanico Pii Imperatoris filio, me autem judice est suppositititium. Eam in rem perquam utilia mihi fuerunt, quæ habentur fine Monumentorum Paderbornensium, utriusque Ludovici genuina diplomata: cumprimis illud Pii Imperatoris, quoniam & sigillum sive imaginem Cæsaris exprimit, qualia perquam rara hactenus prodierunt in lucem. Utrumque in librum meum transtuli, addito encomio præclari Monumentorum operis ejusque Autoris. Hoc ipso autem vehementer in me accensum est desiderium Novæ editionis: nec enim dubito accessuras ex veteris ævi thesauro Tabulas etiam alias. Deum veneror, ut rebus integris, & procul bellicis turbis, quæ nunc sollicitam habent cùm omnem Germaniam, tùm maximè Viciniam Vestram, liceat Eminentiæ Vestræ frui ceu antehac otio literario, quo nihil est dulcius.

Illustriss. Celsitudini Vestræ

Helmstadii 21 Martii
Anno 1672.

ætatem
devotissimus
Hermannus Conringius.

XXI.

XXI.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS

Coadjutor Monasterienſis

S. P. D.

Cl. Viro HERMANNO CONRINGIO.

QUas ad me propridie Kalendas & XXX. Novembris ſuperiori anno dediſti literas, accepi quidem unà cum exemplo epiſtolæ Stephani Baluzii, ſed nullum iis reddidi reſponſum, quod eo tempore graviſſimis dentium doloribus conflictabar. Interim Illuſtriſſimus Vir Ludovicus Verjuſius Chriſtianiſſimi Regis Legatus hic me convenit, cui petitum epiſtolarum Innocentii III. P. M. exemplar de diſſidio Ottonis IV. & Philippi Cæſarum de Imperio decertantium, ad Baluzium prima quaq; occaſione deferendum commiſi, qui etiam hoc ſe libenter curaturum pollicitus eſt. De volumine Dramatico ad me miſſo plurimum tibi debeo, & ſereniſſimo N. N. ex animo gratulor tam uberem in poeſi vernacula ingenii venam, gratiasq; ago quam poſſum maximas de dono hocce mihi acceptiſſimo. Magno mihi ducam bonori, ſi librum de antiquitatibus Academicis nobis dedicaveris, qui bonas literas tanti æſtimamus & tantopere viros literatos diligimus. Cenſuram diplomatis Ludovici Pii, quam meditaris, magnopere adjuvabunt monumenta noſtra aliquot novis ejusdem Cæſaris diplomatibus in hâc novâ editione illuſtrata, quæ propediem in publicam lucem emiſſa tecum communicabimus. Vicini belli metus in apertam fœderati Belgii & confinium provinciarum ruinam erupturi, hac æſtate animum à Muſarum conſuetudine pro dolor! utiq; avocabit. Parcat iis Deus, qui tanto incendio materiam præbuere. Vale mi Conringi, meq; in ære tuo cenſe. Neubuſii præpropere. XI. April 1672.

Digitized by Google

XXII.

EMINENTISSIME Atq; ILLUSTRISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME.

PRæcedentem hebdomadem agente me in aula N. N. commodum accidit, ut cum alia quædam bona tum etiam libri piè nuper defunctæ Principis inter heredes dividerentur, volumenq; hoc Dramaticum autori ipsi cederet. Rogavi itaqve optimum Principem, permitteret mihi, librum illum Bibliothecæ Vestræ consecrare. Ægre quidem ille passus est sese exorari: indigna sua judicans, quæ legantur ab eo, qui nec Maroni ipsi Poëtica facundia sit secundus. Quum impetraverim vero tandem id quod volui, jam adeo librum hunc mitto. Continet autem uno aut altero excepto, Dramata omnia eximii illius Principis, plæraqve hodie repertu rara, ac proinde vix etiam mihi antehac visa. Quantumvis autem, non sint exacta ad limam Sophoclis vel Euripidis, vel Latinorum qvoqve cum Comicorum tum Tragicorum amussim: non dubito tamen haud displicituram Principis hanc operam. Quod ubi accepero, mittam & alia ejusdem manus sacra pariter & profana. Nunc quod jussus fui, opto Eminentiæ V. illius Principis nomine felicissima quæq;, ac sanctè testor, Eminentiæ Vestræ raram virtutem atqve eruditionem justo pretio in aulâ N. N. æstimari. Deum etiam ego veneror, ut bono publico felicitas vestra si non immortalis, saltim in plurimos annos sit diuturna.

Eminentiæ Vestræ

Helmestadii 27. Martii
Anno 1672.

ætatem devotissimus
H. Conringius.

P. S.

P. S. Addo & alios duos libellos ab eodem Principe confectos: etsi præ festinatione tabellarii non potuerunt à Bibliopego formari in aliquam elegantiam. Confido scilicet, rem ipsam potius æstimatum iri. Ne etiam hoc nesciatur, modi musici debentur N. N. jam viduæ, fœminæ itidem longe sanctissimis moribus & eruditæ.

XXIII.

EMINENTISSIME Atq; ILLUSTRISSIME PRINCEPS DOMINE CLEMENTISSIME.

LIteræ Eminentiæ Tuæ quo magis desideratæ ità longè fuerunt gratissimæ: quoniam uberrime significarunt pristinæ gratiæ nihil decessisse mihi, neq; langvere curam rei literariæ: etsi Mars Palladi perquam sit infestus & tantum non extrema minitetur. Baluzio missum esse exemplar literarum Innocentii III. Papæ per Excellentissimum Verjusium, atq; ita preces meas habuisse suum pondus, impense gaudeo. Laboravit Vir optimus & de Ecclesiastica literatura veteri præclare meritus, aliquamdiu gravissimo oculorum affectu: eoqve aliquot mensibus nihil ab eo accepi literarum, donec nudius quartus traderentur, quas tamen jam XI. Kalend. Aprilis exaravit. Partem earum descripsi, jamqve mitto. Inde dolens didici, libros quos arcæ inclusos exeunte jam Augusto Hamburgum misi, ne nunc quidem Parisiis traditos Colbertinæ Bibliothecæ. Erant autem inter illos & Eminentiæ Tuæ Poematum libri, Regiæ & Colbertinæ & Baluzianæ Bibliothecis consecrati. Arcam illam librariam pridem venisse in manus magni mercatoris Parisiensis cum aliis nonnullis, nunciavit su-

Digitized by Google

periore hebdomade Christianissimi Regis Hamburgensis, ceu appellant, Residens. Id proximè Baluzio indicabo: vereor tamen omnia sequiora. Auctor Baluzio fui, ut quia novam Capitularium editionem molitur, iisaddat Capitularia duo de rebus Saxonicis, Eminentiæ Vestræ industriâ in iis eruderandis justo præconio laudatâ: perinde atq; â me est factum libro de origine Juris. Hoc facturum sese promisit: nec minus fideliter, scio præstabit. Quod si variæ lectiones pridem editorum Capitularium possint Eminentiæ Tuæ jussu colligi & Baluzio mitti, cederet hoc ipsum ut in gloriam Tuæ Eminentiæ ita in commodum publicum. Quo animo acceperit Baluzius carmen in Regiam Lupparam, probat Epistola. Qui cum abunde hinc pateat, non opus arbitror, pro dono illo uti & ego hîc agam gratias. Incendit autem (fateor) Baluzius sua illa laudatione etiam in me illorum versuum acre desiderium. Fortassis verò & hujus voti ero propediem particeps, una cum nova Monumentorum Paderbornensium editione. Qvam avidius etiam solitò nunc exspecto, postquam intellexi Ludoviciana varia diplomata iri additum. Utinam accedant illa, quorum meminit eruditissimus Mallinckrotius l. de Archicancellariis Imperii pag. 23. Hervordiæ impetrari posse non equidem dubito: modo Eminentiæ Tuæ non fuerit grave illa petere. Jam tum in libro meo laudavi fide iteratæ editionis Paderbornensium monumentorum diploma Hervordiense memoratum ad monumentum Ramæ n. 2. non sine justo præconio. Nuper Tiguro nactus sum Ludoviciana diplomata duo optimæ notæ, & suis sigillis ac monogrammis, quæ appellabant, instructa.

Illa censura Ludoviciani Diplomatis aliquamdiu abrupit curam operis de Antiquitatibus Academicis: nunc intel-

tellecto Eminentiæ Tuæ etiam in hoc meum volumen gratioſo affectu, propediem redibo ad illos mihi quondam gratiſſimos labores, in monumentum meæ erga Eminentiam Tuam obſeqventiſſimæ reverentiæ & venerationis. Interea mitto hac vice libellos duos, neutrum licet meum: niſi quod alterum recenſuerim ediderimqve, alterum meo conſilio nonnihil juverim.

Martem turbaturum literariam rem omnem, non equidem dubito. Vereor autem, illud incendium non iis ſtaturum finibus quibus apertè nunc imminet: ſed univerſam ſimul rempublicam Imperii correpturum, daturumqve nobis novam faciem: utinam noſtra hac meliorem! Quid fiet verò, ſi & Turca alterum latus infeſtaverit? O miſeras hominum mentes! o pectora cœca! Deum veneror, uti ſaltim non involvantur regiones Eminentiæ Tuæ ſævo hoc bello, ſed liceat illi inter turbas frui otio & firma valetudine.

Eminentiæ Tuæ

Helmſtadii 20. Maji
Anno 1672.

ætatem
devotiſſimus
Hermannus Conringius.

XXIV.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS Coadjutor Monaſterienſis S. P. D.

Cl. Viro HERMANNO CONRINGIO.

Libellis tuis ad me miſſis rependimus ſeptem monumentorum Paderbornenſium exempla, quorum majus Bibliothecæ Auguſtæ, reliqva Rudolpho Auguſto, Antonio Ulrico, fratribus

Digitized by Google

bus & Ducibus Brunſvicenſibus, Præpoſito Helmſtadienſi. tibi & Meibomio, & poſtremum Bibliothecæ Academicæ veſtræ donamus. His adjicimus ſeptem Illuſtrium virorum poemata, quorum grandius exemplar Bibliothecæ Auguſtæ debetur, cætera ad modum monumentorum diſtribuenda, quæ bibliopego illic compingenda tradas velim, quam in rem latori harum literarum ſex daleros dedi tibi reddendos. In his omnibus æqui bonique facias ingenii noſtri fiduciam, & ſolum fortaſſe probabis intentum noſtrum de Republica literaria bene merendi ſtudium. Quæ ducibus Brunſvicenſibus deſtinata: per hunc nuncium eò poſſent perferri. Baluzius Epiſtolas Innocentianas de diſſidio imperii noſtri accepit animo perquam læto & grato, quem binæ ejus ad me datæ literæ abunde teſtantur, ſi qua præterea in re ipſius ſtudiis gratificari potero, non deſiderabit certe operam meam ampliſſimis verbis ei promiſſam. Ipſarum epiſtolarum exempla, quod in iis de ſtudiis ſuis agit, alias tecum communicabo, ubi hic nuncius redierit, & plus otii nactus fuero, quod præſentis temporis motus prope abſumunt. Rex Chriſtianiſſimus, paucos intra dies potitus Weſalia, Rhinoberca, Orſavia, Burica, munitis oppidis, jam toti Bataviæ ſubjugandæ minatur. Grolla & Brevorda à fœderato milite obſeſſa, non diu obſidionem toleratura videntur, deſperata Hollandici exercitus ope, qui jam campo exceſſiſſe, & munimentis ac oppidis ſe continere fertur, ut magna & fatalis rerum converſio illi florentiſſimæ Reipubl. imminere videatur. Ego neutri parti obnoxius liberrimum mihi in omnem ſucceſſionis Monaſterienſis eventum ſervo arbitrium. Interim copiis Colonienſibus è vicino Weſtphaliæ ducatu deductis, & ceſſante propterea armorum hic metu & periculo, tres veteranorum Equitum meorum turmas haud ita pridem ex auctoravi, quæ licet ad ſigna Monaſterienſia poſtea tranſierint, nullo tamen

men modo animum meum ab bis turbis alienum mutarunt. Vale mi Conringi & juxta mecum Deum precare ut brevi redeat Pax una triumphis innumeris potior. Ubi collectionem Romanam Holstenii satis degustaveris, mihi remittas velim & Meibomio dicas, me eadem occasione illi analecta Henrici de Hervordia optima fide restituturum. Vale iterum meq; ut facis ama. Neuhusii XII. Junii. MDCLXXII.

XXV.

EMINENTISSIME PRINCEPS

Domine Clementissime.

NOn minus literæ quam libri Tui summo me gaudio affecerunt. Intellexi enim ex illis statum prosperum Principatus & simul constantem erga me gratiam. Libri tamen doctrina & elegantia superarunt etiam, fateor, meam exspectationem. Quid enim splendidius & multa eruditione illustrius vel optari possit, novâ isthac Monumentorum Paderbornensium editione? Quanta amœnissimorum poëmatum non Eminentiæ duntaxat Tuæ, sed aliorum quoque, quæ inter Torckii placent maximè, in altero libro facta est accessio! Habuerunt me omnia, simulac inciderunt in manus, lectorem admirabundum. Deum autem veneratus sum, ut, cum ab aliis Illustrissimi aut Reverendissimi Ordinis simile nihil sperare liceat, saltem Eminentiam Tuam Germaniæ nostræ, in salutem & ornamentum servet incolumem. Pro mihi donatis libris gratias ago immortales. Reliquorum curam, prout sum jussus, habui. Libros sex poëmatum & ære vestro (quod tamen in rem tantulam nimis fuit liberale) curavi â bibliopego compingi, & suis locis jam tum ex parte reddi. Duos cum aliis, Principum Bibliothecis obferet nuncius, cui & literas

Digitized by Google

meas in aulis curandas commisi. Non dubito, etiam illic gratissima fore eximia illa Eminentiæ Tuæ munera. Quod si placuerit per me etiam alibi, in Daniâ nempe aut Berolini (in Galliam enim jam proximior Eminentiæ Tuæ per Baluzium & Verjusium patet aditus) aut hîc etiam, tantis donis quenquam honorare, non patiar in opera mea quidquam desiderari. Et verò gener meus, cujus varias lectiones in Matthæi Evangelium alias misi, impensè utrumqve librum desiderat, quoniam hîc non facilè prostabit venalis; eoqve, si fas est, aliquod utriusqve libri exemplum ego petierim. Reddo opuscula postumæ collectionis Holstenianæ, cum justâ gratiarum actione. Legi diligenter: quædam etiam curavi describi. Omnia esse genuina, non dubito. Fortassis etiam non fallor, si dixerim, præfationem & hujus libri & operis grandioris de Regulis Monasticis esse â manu Tuæ Eminentiæ. Baluzium esse jam in patrocinio V. Eminentiæ equidem gaudeo. Res docebit, Virum esse non duntaxat doctum sed etiam bonum, quod rarius. Scripta illius sanè ostendunt etiam æquum Judicem multarum hujus seculi sacrarum litium: ut equidem tales Nestores decem cum Agamemnone optaverim, componendis Ecclesiæ rebus. Scio idem judicaturam V. Eminentiam, ubi legerit. Nisi fallor autem, facilè curabit omnia Illustriss. Verjusius. Quod causam Petri de Marca tueri non dubitaverit, secunda editione operis de Concordiâ Sacerdotii & Imperii curatâ, multum quidem illi molestiæ peperit Indicis congregatio: Sed Cleri Gallicani & Regiâ fretus autoritate, animo imperterrito curavit & tertiam editionem locupletiorem; quæ utinam sit in T. Eminentiæ manibus!

Chri-

Digitized by Google

Christianissimi Regis armorum felicitas hactenus sanè inusitata est. Ego qui tanti Regis ab aliquot jam annis sum beneficiarius (quod fortassis Eminentiam quoque Tuam pridem docuit meorum Hermeticorum præfatio ad Illustrisimum Colbertum) dum optimè cupio incomparabilis illius Monarchæ felicitati, tamen vereor aleæ vicissitudinem. Eminentiam Tuam minime latent res Romanæ belli Punici secundi, & Venetæ post fœdus Cameracense; similiaque infinita. Deum castigandis fœderatis Belgis misisse maximum Ludovicum, clarissimum est. Modus autem divinæ indignationis fugit mortales. Non dissimulo apud ipsos magnates Regios, orare me omnipotentem DEUM, saltem ne quid adversi, quod in Regni damnum possit vergere, accidat. Si Deo placuerit plenam Ludovico victoriam concedere, certus sum destinatum eidem saltim totius Europæ imperium, & Germaniam quoque eundem brevi habiturum Cæsarem, etsi sine applausu Romanæ Curiæ. Eminentiæ Tuæ consilium & institutum laudo, non dubitans huc quoque pertinere illud Servatoris: *Beati mites quia hæreditatem accipient terræ*, ac proinde majorem accepturam fructum quam antecessorem, magnum licet bellatorem. Faxit Deus, ut maneat ille animus Tuæ Eminentiæ, utque hæc tranquillitas reipublicæ sit perpetua.

Eminentiæ Tuæ

Helmestadii 27. Junii 1672.

quoad vixero
obsequentissimus servus
Hermannus Conringius.

XXVI.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS

Coadjutor Monasterienſis

S. P. D.

Cl. Viro HERMANNO CONRINGIO ſuo.

HUmanitas tua, quâ donum monumentorum meorum accepiſti, mi Conringi, nos excitat, ut non ſolum genero tuo unum monumentorum atq; alterum poematum ſeptem Illuſtr. Virorum, te ita optante, impertiamus, ſed etiam te oremus, ut majoris formæ exemplar Bibliothecæ Regis Daniæ inſerendum, & reliqva tria Reineſio Lipſiæ, Bœclero Argentinæ & Madero primâ datâ occaſione reddenda cures. Quicquid impenſæ in hanc rem feceris, grato animo reſtituemus. Binæ Baluzii doctiſſimi viri ad nos datæ Epiſtolæ, non ſolum commercium noſtrum literarium, ſed etiam editionis variorum operum conſilium ejus facile te docebunt, quod certe omni opere foret adjuvandum. Remiſſam collectionem Romanam Labbæus & Coſſartius ſocietatis Jeſu ſacerdotes novæ Conciliorum editioni, Regi Chriſtianiſſimo dicatæ, & ante qvam Batavos aggreſſurus viæ ſe commiſit, Pariſiis oblatæ, haud dubiè inſerverint. Opus perquam inſigne & multis ſacræ antiqvitatis monumentis auctum, mihiq; ab Auctore donatum propediem me ſpero accepturum, cujus dedicationem nunc ad te mitto magnificam ſane & eruditam. Cæterum Chriſtianiſſimi Regis de Batavis triumphi quotidie reportati, qvi plerosq; omnes ſua felicitate tenent attonitos, me excitarunt, ut Majeſtati ejus his verſiculis gratularer, quos tecum ſolo communes facio ut cenſeas, ut emendes. De incrementis Diœceſis Monaſterienſis

mihi

mihi, si vita suppetet, aliquando obventuris ita lætor, ut illud Virgilii mihi maximè placeat: Laudato ingentia rura, Exiguum colito. Partitione prædæ jam inter fœderatos facta, Regi Christianissimo Trans Isalam Monasterienſibus armis occupata cesserunt oppida Campen, Hattum, Elburg & Hardevvick. Colonienſi obvenit Daventria cum dimidiâ parte Swollæ, cujus altera pars Episcopo Monasterienſi cum Grolla Brevorda, aliisq; compluribus oppidis & municipiis pagisq; Tventiæ & Trentiæ concessa. Rebus ita compositis miles Colonienſis cum Francicis auxiliis ad regias copias recessit. Monasterienſi Principe, ſuis auſpiciis, ductuq; bellum administrante; quare obsessa si nondum capta Covordiâ Frisia & Groninga nunc prædæ destinatur. Qua de re nihil adhuc certi habeo affirmare: contra brevi & forte ante exitum hujus mensis pacem inter Reges eorumq; belli socios, & superstites fœderati Belgii provincias coituram, minime est ambigendum, quæ si Batavos universos Gallico Imperio nunc subdet, plurimum profecto eorum opes accidet, potentiam infringet & existimationem gloriamq; antiquam labefactabit. Verum de his propediem certiores nuncios ad me mittet Legatus & nepos meus Plettenbergius, quem ante otiduum ad castra misi Majestati Regis Christianissimi de victoria & novo Regni herede haud ita pridem nato, meis verbis gratulaturum. Vale meq; ut facis ama. In Collino nostro X. Julii MDC LXXII. Quos elegos meo epigrammati inter septem Illustr. Virorum poemata edito reposuit Dux Montauserius, bis adjicio, oppido elegantes & tam antiquis pares, quam nostris versiculis superiores. Vale iterum iterumq;.

XXVII.

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Domine Clementissime.

QUas X Julii exaraſtis, recte quidem, ſed juſto atque exſpectato ſerius XXVII. menſis Auguſti demum mihi ſunt redditæ. Usque adeo teſtudineum fecit neſcio quid Mercurium Veſtrum, nec aliàs alipedem. Cum plurimis autem de cauſis longe gratiſſima fuerint omnia quæ miſſa ſunt, tum præcipue me exhilaravit conſtans erga me meaqve Principalis gratia. Munus Monumentorum atqve illuſtrium Poëmatum genero meo jam eſt theſauri loco: eoqve immortales Eminentiæ V. agit gratias juxta mecum.

Bibliothecæ Regiæ deſtinatum grandius exemplum intra paucos dies Hamburgum atqve inde Hafniam curabitur. Faxo ut in ipſius Majeſtatis Regiæ manus perveniat per illum, cui Bodiniana mea inſcripſi; utpote qui Regi eſt familiariſſimus, & hactenus à Bibliothecâ ut nunc à ſanctioribus conſiliis, meus amicus ſummus. Is cum ſit literatiſſimus, nec minus Poeta & Hiſtoricus haud è vulgo, mittam illi & Monumentorum & Poematum libros Reineſio deſtinatos: quoniam hic pridem ad plures abiit. Id ſpero Eminentiæ V. haud inacceptum futurum, etſi injuſſum. Böeclero & Madero propediem ſua curabo. Exemplum Monumentorum auro ornatum habuit me ſollicitum, quia ejus nulla fuit facta mentio. Quandoquidem autem ego ſuaſiſſem offerri aliquod libri illius pereximii atqve elegantiſſimi exemplum Electorali Brandeburgicæ Bibliothecæ, quæ Berolini magnis impenſis inſtruitur à φιλοβίβλῳ Principe; hoc meum conſilium nec Eminentiæ V. diſplicuiſſe ſuſpi-

ſpicatus, miſi illud ad Excellentisſimum Kanſteinium, primarium Conſiliorum Electoralium Miniſtrum & ſummum ærarii curatorem, nunc adeo Electoris Legatum ad Conventum illum magnum, qui jam Brunſvici inſtituitur. Quibus verbis ad Generoſ. Dn. Kanſteinium fuerim uſus, indicat ſchedula adjecta. Docebit illa, metuere me nonnihil mali regionibus etiam Veſtris ab adventante milite Cæſareo atqve Electorali: eoqve ſtuduiſſe me conciliandæ, ſi fieri poſſit, amicitiæ inter Electorem, exercitus univerſi ſupremum Ducem, & Veſtram Eminentiam. Quod ſi peccaverim, non denegabitur tamen ſpero venia, ſtudio averruncandi omnis mali à terris Veſtris delinquenti. Utinam modò voti & conſilii fiam compos! Certe omnibus Transviſurganis terris ingens videtur detrimentum imminere: quæcunque etiam pars vicerit. Oſtfriſiam patriam meam hyberna conceſſuram militi, cujuscunqve ille fuerit partis, ne dubitem, facit egeſtas Monaſterienſis ditionis univerſæ, imo totius Weſtphaliæ & Tranſiſulaniæ. Eoq; mihi quidem fuerit utiliſſimum, ſi per Eminentiæ Veſtræ interceſſionem à Monaſterienſi Principe, meis & generi, Principalis Conſiliarii, bonis Friſicis ſalvæ quam vocant guardiæ literæ in omnem eventum queant impetrari. Etiam ſane atqve etiam rogo obſecroqve, velit Eminentia Veſtra hoc etiam patrocinio me fidelem clientem beare.

Novam Conciliorum editionem à Labbæo pridem cœptam, nunc tandem curante Coſſutio prodiiſſe in lucem, equidem gaudeo: ſi non lector ſaltim perluſtrator eorum diligens futurus, ubi huc advenerint pretioſa illa volumina. Præfatio editionis Coſſutiana multum placet: etſi pluſculum habeat fortaſſis adulationis, quàm ſacrum argumentum patiatur. Indubie autem ne illa quidem volumina exhau-

hauriunt omnem Conciliorum thesaurum: qvum Baluzius jam tum congesserit aliquot παραλειπομένων tomos, quibus etiam ego adjeci Symbolam ex manuscriptis codicibus Juliæ nostræ Bibliothecæ. Multa ex Actis & Canonibus Conciliorum omnis ævi possunt accipi, bona malaqve Ecclesiæ. Quod copiam mihi fecerit Eminentia Vestra literarum Baluzianarum, in beneficiis acceptis numero. Cum primis autem gaudeo, me parario commercium hoc literarium cœpisse. Poterit Baluzius à nemine perinde, in Germania quidem nostra, adjuvari quàm à Vestra benevolentia. Et verò incubant nostri homines suis thesauris draconum iustar; plerumqve tamen præ insciti& & socordiâ, in tanto licet hominum literatos sese profitentium numero. Epigrammata bina illa perquam placent suo acumine & elegantia, ut omnia Vestræ Eminentiæ. Ne quid autem dissimilem, vix crediderim, Cæsari aut Hispano, aut ipsi Pontifici, victorias Gallicas acceptas esse Religionis propagatæ causa. Felicitas Ludovici excitat invidiam & æmulationem quàmvis maximè religiosorum: ut non dubitent illi jam tum cum Protestantibus pro Bataviâ conspirare. Quod si solito modo perrexerit Ludovicus: haud tamen, quantum arbitror, in Religionis causam impinget; monitus infelici exemplo Philippi & Ferdinandi nostri, qui ad illum lapidem offendentes tantum non maxima quæqve sua perdiderunt. De partitione eorum quæ Monasterienſibus auspiciis occupata sunt, stupendo sane successu, jam tum acceperam. Mihi in animo est illud Flori: *Difficilius est Provinciam retinere qvàm facere.* Sed & mirum, si ærarium Principis suffecerit alendo militi præsidiario in tot urbibus: ubi animi civium domiti quidem sunt nonnihil ut pareant, neutiquam verò ut serviant. Mihi etiam tuta quæqve viden-

dentur timenda, hoc præsertim novo rerum statu. *Pax optima rerum.* Quotidianæ frequentissimæ meæ preces sunt: *Da pacem Domine in diebus nostris.* Nec dubito eadem esse & Vestræ Eminentiæ vota. Nisi sane Deus pacem conciliaverit, illa quæ nunc ineuntur fœdera & parantur arma in summum discrimen & Galliæ & Germaniæ res brevi adducent, ut nostrum tamen periculum videatur altero futurum majus. Sed quid hisce tristibus chartas hasce impleo? Elegi Montauserii Ducis suaves sanè sunt, & quales a Ducum aliquo non temere confecti. Nisi fallor tamen non assequuntur gloriam sex illustrium Virorum. Septimum enim Virginium jam non moror, ut cujus Poëmata videantur aliquid contraxisse ex lue, qua ipse laboravit. Cum nihil habeam ejus argumenti, quod reponam, mitto Lindaviana mea, recentissimæ fæturæ. In iis conficiendis usum me Eminentiæ V. Monumentis Paderbornensibus primæ ac secundæ ἐκδόσεως, non dissimulavi, pag. 12. 26. 83. & 334. alibique. Quod si vestro judicio probabuntur, aliorum sinistras censuras non pertimescam. Sunt jam sub prælo quæ de Antiquitatibus Academicis commentatus fui, V. Eminentiæ nomini consecranda: sed sperato lentius procedunt operæ, ob multitudinem alienorum negotiorum, quæ me occupatum ex officiis aulicis habent. Ubi paulum otii nactus fuero, & faverit valetudo, & hæc & alia σὺν θεῷ prodibunt in lucem. Non desinam interea Deum venerari, ut pace publica constituta, Te patrono liceat mihi frui in annos quamplurimos.

Eminentiæ Vestræ

Helmstadii 31. August. 1672.

devotissimus
Hermannus Conringius.

h P. S.

P. S. Hiſce jam ſcriptis mittit Illuſtriſſ. Verjuſius literas cùm alias Pariſiis acceptas, tum etiam Baluzii, ſed jam vetuſtiores, III. Kal. Julii nempe exaratas. Earum partem illam, quæ Eminentiam V. attinet, adjicio. Tum primũ nactus fuerat ille ſuperioris anni autumno miſſam Rotomagum Hamburgo arcam meam librariam, cui aliquot exempla Poëmatum Veſtrorum addideram, interqve ea unum Bibliothecæ Colbertinæ & alterum Baluzio deſtinatum. Videtur Eminentia V. nondum Pariſios miſiſſe Monumenta ſua Paderbornenſia. Si ita eſt, rogaverim ne gravemini etiam illud facere.

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo

FERDINANDO FURSTENBERGIO

EPISCOPO PADERBORNENSI, COADJUTORI MONASTERIENSI

S. R. I. Principi

CAROLVS SANCTA-MAVREVS DUX MONTAUSERIUS

S. P. D.

DUm meritas memori meditor ſub pectore grates,
Et voco Pierias in mea vota Deas.
FERDINANDE, negant viresqve, animosqve, nec ipſæ
Carminibus referant carmina digna tuis.
Dum caneres cultos Capitoli in culmine Divos
Indecores illæ deſeruëre lyras.

An-

Angariæ invidit Latium, teqve incluta Roma
Audiit, & civem credidit esse suum.
Insonuere tuis Tarpejæ cantibus Arces,
Et Tyberis lætas plaudere jussit aquas.
Romuleusqve licet magnarum pondera rerum
Ferret Alexander, non grave sensit onus.
O si quis Superum priscos mihi suscitet ignes
Et reddat nostris laurea serta comis!
Sed nec Apollineum meminit me Gallia vatem,
Nec mihi desuetam Musa ministrat opem.
At te frondenti præcinctum tempora lauro
Jam resonat totis Sequana littoribus.
Dum gravidum bellis sæclum fremit undiq;, & orbi
Vindictam, læsi Numinis ira, parat.
Tot strepitus inter, duriqve minacia Martis
Classica, mansuetis Artibus ipse vacas.
Seu priscos Superum ritus, arasqve tueris
Qua surgens nitido Luppia fonte fluit.
Pacatosqve regis populos, animasqve sequaces
Exempli sanctâ relligione trahis.
Seu Lodoicum armis, animisqve opibusq; potentem,
Et pace & bello prospera regna canis.
Sive altam Luparæ votivo carmine molem
Laudas magnifici nobile Regis opus.
Credita seu nostris memorans sacra pignora curis
Augusti pueri fata futura refers.
Vincat avos utinam meritis, & Regibus olim
Imperet, & solo sit Genitore minor.
Te Duce, nunc placidas sectetur Apollinis artes,
Et durum post hac sub patre Martis opus.
Et qui jam laudare tuum, jam discere carmen
Incipit, ille tuo carmine digna gerat.

Digitized by Google

XXVIII.

EMINENTISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME.

OPortunè præter ſententiam hîc commoratus eſt teſtudineus Mercurius. Heſternâ enim demum veſperâ nactus ſum quatuor hoſce libros, quibus ſuas fabulas complexus eſt, ingenio & virtute optimus Princeps. Juſſit illos cum plurima ſalute & officiorum amicitiæ prompta oblatione, ſuo nomine conſecrare Ferdinandinæ V. Bibliothecæ; Id quod cum facio, non equidem dubito præſtare merem haud ingratam. Idem Princeps, ut & Sereniſſimus Dominus meus, Eminentiæ V. nuperrima dona exceperunt ſingulari cum indicio eximiæ lætitiæ. Eoq́; , ceu fui juſſus, utriuſqve nomine ago gratias. Quod ſi viſum fuerit alia quædam Monumentorum & Carminum exempla per me Viris doctis (hi enim valde quidem illa deſiderant, ſed cùm non proſtent venalia, fruſtra) impertiri, curabo ea, qua par eſt diligentiâ. Rogo vero iterum precorqve, ſi fieri poſſit, me generumqve meum in Oſtfriſiâ, facias adverſus omnem injuriam literis tutelæ ſive Salvæ Guardiæ quam vocant muniri. Divinæ tutelæ Veſtra omnia viciſſim commendo.

Eminentiæ Veſtræ

Mitto reſponſum Generoſi Kanſteinii quod jam redditur.

devotiſſimus

Helmeſtadii 5. Sept. 1672.

Hermannus Conringius.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS Coadjutor Monasterienſis S. P. D.

Cl. Viro HERMANNO CONRINGIO ſuo.

GRatias tibi ago, mi Conringi, quam poſſum maximas de egregiâ cenſura falſi diplomatis Ludoviciani, & de honore nobis inſuper attributo, tamque magnificâ factâ mentione. Quæ de antiquitatibus Academicis paras nobis dedicare, erunt gratiſſima, modo abſit titulus Eminentiæ & Eminentiſſimi ſolis Eccleſiaſticis Electoribus & Cardinalibus conveniens. Ego eo ſum contentus, quem ſeptem Illuſtr. Virorum poëmata mihi inſcripta præferunt. N. N. multum me debere profiteor, de inſigni munere, bibliothecæ meæ donato; quare etiam te rogo, ut ei propterea meis verbis ampliſſimas agas gratias, perſvadeasque me ipſius amicitiam, conciliantibus muſis initam maximi ſemper facturum & quibus vis officiis conſervaturum. De prædiorum tuorum ſecuritate curam geram, ubi neceſſe fuerit: nondum enim mihi poſſum perſvadere, Epiſcopum & Principem Monaſterienſem Friſiæ orientali gravem fore, utpote Galliarum Regi propter amicitiam & obſequium Ducis Wirtenbergici ſingulariter ut mihi conſtat, commendatæ. Plus periculi imminere videtur â Cæſareis & Brandenburgicis copiis, iſthic Bataviæ laboranti fortaſſe opitulaturis, & hiberna capturis. Inde illic vigilandum. Quoad me, ſum eroque neutri parti obnoxius, hoc enim expedit hoc tempore ditioni meæ. Exercitus quidem ultro citroque commeantes magnam vaſtitatem agro inferent, nullam tamen hoſtilitatem metuo, Cæſari

ac Regi Christianissimo æquè carus & æstimatus ob spem successionis Monasterienſis. Plura scribere vetant curæ publi æ, quæ me circumstant. Vale meque in ære tuo censе. Neubusii XVI. Septembr. MDCLXXII.

XXX.

EMINENTISSIME PRINCEPS

Domine Clementissime.

ET literas & quinqve Monumentorum totidemqve Poematum libros rectè quidem accepi, nudius tamen deniqve tertius. Conqueritur tabellarius, se in via vestibus ab infesto milite in Hildesheimensi ditione exutum, domum reverti compulsum, atqve ita secunda jam vice iter instituisse. Eo factum, ut ex illo de insolentia Auxiliarii qui audit exercitus, in vestris etiam terris parratâ, multa potuerim accipere, fœda dictu & factu improba: quorum in literis nulla facta mentio. Indubie verò longe tetriora successissent, nisi nescio quæ spes nova consilium atqve iter cœptum turbasset, & à Visurgi evocasset infestas illas copias ad Rhenum. Ubi tamen æque frustatur illas successus: miserâ Germaniâ pereunte in gratiam pecuniæ Hollandicæ, nullo tamen ipsiusmet etiam Hollandiæ commodo. Infelicem verò Imperii rempublicam, ubi tantum non omnia licent omnibus potentioribus! Nisi infaustum aliquod prælium repulerit, non spero, vel Saxoniæ vel Westphaliæ graves futuros illos Auxiliatores hybernis. Ac proinde & patriæ meæ minus ab illis jam metuo, perinde atqve à Monasterienſ. securum me reddit Vestra Eminentia. Cui tamen nihil minus mea Ostfrisica etiam atqve etiam commendo: gratias agens maximas benignissimi pro-

promisſi ergò. Lindaviana mea haud displicuiſſe, plurimum gaudeo. Academicas antiquitates brevi iterum aggredientur Typographicæ operæ, ſepoſitis iis quæ jam prælum fatigant. Eminentiæ titulus in quantum ſit ex Urbani VIII. conſtitutione receptus, haud me fugit: eoqve in publico ejus uſu temperabo calamum ad illum morem: ante tamen octingentos annos Epiſcopis quam multis ſolere tribui id nomen, certum eſt. Celſiſſimo Principi N. N. ſcribam illa quæ ſum juſſus. Indubie verò peracceptа ipſi erit Eminentiæ Tuæ amicitia. Librorum quos antehac accepi, nihil penes me ſuperat, præter illum Bœclerianis manibus deſtinatum. Pridem illum curaſſem niſi inopinatus magni Viri obitus mutare conſilium juſſiſſet. Faxo autem ut haud indigne collocetur & liber ille & qui nunc miſi ſunt. Deum veneror, uti pace publica conſtitutâ, liceat Eminentiæ Tuæ pluſculum otii etiam impoſterum rei literariæ impendere, non minus atqve tranquillo ditionum regimini.

Eminentiæ Tuæ

Helmſtadii 19. Octobr.
Anno 1672.

ut atem omnem
ſervus devotiſſimus
H. Conringius.

P. S. Qvum deſit ſecura mittendi literas ad Illuſtr. Verjuſium commoditas, non dubitem autem, ſub veſtra, Princeps Eminentiſſime, tutela Coloniam facile poſſe curari, auſus fui illas addere. Submiſſe autem rogo, ne feras hoc ægrè, imo deferri illas jubeas ad ſuum locum. Jam clauſuro literarium hunc faſciculum offertur Epiſtola Berolini ſcripta & edita: quam mittere jubet argumentum.

XXXI.

Digitized by Google

XXXI.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS Coadjutor Monasterienſis

S. P. D.

Cl. Viro HERMANNO CONRINGIO ſuo.

COmmendatas mihi literas tuas, mi Conringi, ad Verjuſium miſi, qui Hannoveræ jam præſens, & illac fortaſſe transiturus eas ſe accepiſſe tibi poterit teſtari. Poſtquam Elector Brandenburgicus invaſajam Diœceſi Colonienſi & Monaſterienſi utriq; Principi boſtilia denunciavit, propediem maximas turbas bis in oris formidamus, eò periculoſiores, quò certior fama circumfertur de copiis Brandenburgicis relicto Rheno huc redituris & in vicinia hiberna capturis, quæ Gallorum vires ad tutelam Colonienſis & Monaſterienſis ditionis utiq; huc ſunt attracturæ, cum extremo viciniæ excidio. Tantum poteſt pecunia Hollandica, cui omnia videntur obedire. Interim pacis componendæ ſpes nondum decollavit, cujus arbitri nominati ſunt à Svecis Elector Moguntinus, Bavarus, Palatinus & Dux Wirtenbergicus, Rege Chriſtianiſſimo ab boneſtis pacis conditionibus non alieno, quas ſolæ Hiſpanorum rationes poterunt præpedire, qvo minus accipiantur. Ita innocens Patria externæ cupiditatis pœnas luet, Cæſare Hiſpanorum rationibus illigato, quod non ſemel Germaniæ noſtræ damnoſum fuit. Vale meq; ut facis ama. Neuhuſii Kal. Decemb. M DC LXXII.

XXXII.

Digitized by Google

XXXII.

EMINENTISSIME PRINCEPS

Domine Clementissime.

QUæ Kalendis sunt exaratæ literæ, illæ quidem demum vicesimo quinto hujus Decembris sunt traditæ, per tamen fuerunt acceptæ, constantiam Principalis Tuæ gratiæ dum confirmarunt. Verjusio curatas meas, in non levi colloco beneficio. Hannoverâ ille huc viciniæ non venit, sed & si venisset, abstinendum mihi fuisset ab ejus conversatione, quô evitarentur malevolorum calumniæ, qui ægrè ferunt sua abs me consilia improbari. Colonienſi & Monasterienſi denunciata hostilia, non tam miror, quàm adeo serò factum esse. Statim initio enim expeditionis ad Visurgim tales minæ spargebantur, & Batavi id futurum jam tunc certò exspectabant, imò in id miles Hollandicâ pecuniâ fuit auctoratus: nec poterant alia promtiora Hollandis auxilia exspectari. Ex eo versa ad Rhenum arma, nullo Batavorum bono; imò interim in summum discrimen conjectis Frisiorum saltim & Gröningensium rebus, & ab Hollandis ne vico quidem aliquo recuperato: quasi à Colonienſe & Monasterienſe non haberent Batavi quod metuerent, aut verò opitulatoribus adversus Principes illos non indigerent. Et tamen contra quosvis hostes grandi ære conducti sunt auxiliarii. Nunc cùm hyberna quærantur in Westphalia, per sanè intempestivè ibi mota sunt hostilia: utpote quia hybernare soleat & debeat miles in locis tutioribus, procul ab hostili periculo, nec hactenus quidem eæ fuerint ibi Brandenburgicæ vires, quæ hostem impunè aut securè possint lacessere. Id quod pro-

bavit infelix armorum illorum qui proximis fuit hebdomadibus succeſſus. Niſi fallor, ille à Rheno redux miles jam penetravit in Weſtphaliam. Nec dubito, illum æquè ibi graſſaturum, atqve factum in Wetteravia, & illa quæ ad Lonam, Mœnum, Rhenumqve eſt Haſſia; nec ſine inſigni damno etiam Tua, Princeps Optime, evaſura, niſi quæ Cæſaris prævaleat interceſſio. Simulac tamen Rheno trajecto ad opem ferendam oſtentaverit ſeſe vel eminus Regius miles, equidem arbitror Auxiliares iſtos Weſtphaliâ relictâ cis Viſurgim ad nos redituros: perindè atqve hactenus Galli vocem Leones iſti horruerunt. Ita hæc ipſa hyems etiam nobis jam extrema quæqve minitatur. Utrum brevi pax ſit ſecutura & qualis, hariolari nondum licet fortaſſis. Utriqve illa parti expedit, quantum intelligo: parti victæ aut malè pugnanti etiam neceſſaria eſt. Satius fortè fuiſſet, ſi nemo Germaniæ Principum hiſce turbis ſeſe miſcuiſſet: adeo potentem autem victorem in Germaniam parvâ manu & alienis nervis provocare, cùm longè ſecurius liceat publico conſulere, vereor ut prudens aliquis laudaverit. Ne quid apud Te, Sapientiſſime Princeps, diſſimulem, videor mihi obſervare in omni hoc negotio perpetuam conſiliorum labem: idqve fato aliquo fieri, ac proinde Germaniæ fortunam lapſui eſſe proximam, quale quid jam tum olim gentiles deprehenderunt, & monuere Paterculus pariter & Ammianus. Idem quid in Batavorum rebus etiam nunc haud difficile repertu eſt: Itaqve non illis minus malè equidem metuo. Si propius abeſſem, de omnibus hiſce tecum, Princeps, juſta agerem & libertate & prolixitate. Nunc multa me jubent ſilere. Pergam autem precibus Deum venerari, uti ſaltim Te, Princeps Optime, tuaqve clementiore dextrâ à gravibus quibusqve calamitatibus be-

ni-

nignè defendat: ut omninò enim maneas illæsus, sperare non audeo. Tuus

Eminentissime Princeps

Helmstadii 27. Decembris, Anno 1672.

etatem
servus devotissimus
H. Conringius.

P. S. Ante hosce dies tres ex Dania accepi, Monumentorum Paderbornensium donum à S. R. Majestate benignissimè exceptum, & in Regia Bibliotheca dignum locum invenisse. Quæ ego istuc Tua misi, laudibus magnis docti prosequuntur & admirantur. Mihi verò curam rei litterariæ penè expectorant curæ reipublicæ.

XXXIII.

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Domine Clementissime.

QUartus jam mensis agitur qvum ultimas exararem. Interea nunquam non calidis votis & precibus pacem tranquillitatemqve ditionum vestrarum simulqve integram corporis animiqve felicitatem Deo commendavi; & indolui vestra etiam, id quod pridem metui, mali aliquid perpessa esse. Non licuit tamen hunc animi affectum epistolâ aliqua testari, præ malignitate eorum qui omnibus viis obsesis etiam literis insidiabantur. Quoniam verò nunc omnia sunt securiora, saltim gratulari non possum non Eminentiæ Tuæ, recuperatam pristinam fortunam, quodqve mitiorem nonnihil experta sit aliis vicinis nonnullis Bellonæ insolentiam.

Mirum verò si inter illos strepitus & graves ditionis calamitates potuerit interdum ad suas Musas Eminentia T.

flectere oculos! Non sanè nisi paucas horas succisivas, præ animi ægritudine, ego quamvis ab ærumnis remotior, potui literis impendere: præsertim quoniam Aulicæ occupationes simulqve valetudo minus prospera subinde impedimenta varia injecerunt. Ne nihil videar egisse, mitto plagulas aliquot ejus operis quod Eminentiæ Tuæ nomini pridem animus consecravit in perpetuum obsequii testimonium. Utinam liceat etiam Tibi, Princeps eruditissime, volvere illas & nonnunquam inspicere! quo Tuo judicio instructus vel pergam alacrior, vel desinam ineptire. Cis paucos dies Illustr. Verjusius me reddidit certiorem de literis meis, cura Eminentiæ Tuæ sub medium Februarium sibi missis; ideoqve hoc nomine gratias ago submisse quantas possum maximas. Accepi tunc & a Baluzio literas xv. Kal. Decembr. Lutetiæ exaratas: quarum partem excerptam Eminentiæ Tuæ jam vicissim reddo. Fecit in iis mentionem & editi ab sese operis Antonii Augustini emendationum Gratiani: jussitqve ab Eminentia Tua ejus exemplum cum imagine Illustrissimi Petri de Marca exspectari: fortassis autem illa nondum advenerunt. Ego desidero lectionem præfationis Baluzianæ: non dubitans deprehensurum me Viri præclaram παῤῥησίαν, ut quam ipse profitetur justa libertate Gallicisqve auribus grata esse conscriptam. Sed quid hisce moror Tua negocia, quæ respublica jam unicè expetit, Princeps Optime? Ignosce quæso & fave Tui admiratori. Manebo autem simul

Eminentissime Princeps

Tuus

Helmestadii 24. April. Anno 1673.

ætatem
servus devotissimus
Hermann. Conringius.

XXXIV.

XXXIV.

EMINENTISSIME PRINCEPS

Domine Clementiſſime.

EXhibebunt Ludgeriani noſtri, amici mei, faſciculum, quem ante ſex amplius hebdomades curandum ſuſceperat Bonnenſis quidam Academiæ hujus Juliæ aliquamdiu civis, ſed territus periculo viarum Hildesheimio huc remiſit. Interea temporis defuit ſecura mittendi commoditas; ut proinde mihi gratuler de ea quæ nunc offertur occaſione. Et verò tamdiu abs me nihil eſt miſſum literarum, ut neglecti officii haud immeritò poſſim accuſari: quamquam haud dubitem apud Te æqviſſimum judicem, Princeps Optime, etiam culpæ commiſſæ, ſi qua ſit, veniam mihi polliceri. Oportunè verò accidit heſterno die, ut debeam quoque gratias agere pro beneficio abs Te, Eminentiſſime Princeps, iterum mihi præſtito. Obtulit ſcilicet Sereniſſimi Ducis Joannis Friderici Legatus hac Berolinum tranſiens & faſciculum Principali ſigillo Tuo munitum ſinuqve ſuo comprehendentem cùm literas Illuſtr. Verjuſii tum bina elegantiſſima epigrammata, qualia ſolent ex Tua, Princeps, venâ promanare (ſane ſaltim brevius illud Tuum eſſe haud dubito,) & librum â Baluzio pridem mihi deſtinatum ac cum imagine Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Petri de Marca, quam tamen videtur non miſiſſe, ex aula Paderbornenſi expectari juſſum. Quo nomine plurimum ſanè Tibi, Eminentiſſime Princeps, debeo. Verjuſio ſtatim denuo aliquid jam redderem, niſi ejus ad comitia Brunſvicenſia adventum plæriqve Legatorum certò polliceantur. Baluzium in ſuis ad A. Auguſtinum Præfatione ac Notis jam tum deprehendi qualem antehac ſemper; Petri

nempe de Marca genuinum discipulum atqve æmulatorem, si παρρησιαν spectes & Ecclesiastici regiminis accuratissimam peritiam. Non dubito, quo vales judicii acumine, etiam Tibi, Princeps, studium viri placiturum. Saxonici nostri jam deliberant de pace Imperii publicâ servanda statuminandaqve. Utinam cum felice successu! DEUS Te quoque sospitet in quam multos annos & publico, & meo etiam (si fas est adjicere) bono. Ita voveo & obsecro

Eminentissime Princeps

Tuus
etatem
servus devotissimus
H. Conringius.

Helmestadii 12. Junii
Anno 1673.

P. S. Nisi grave fuerit, submissè rogo, commodâ occasione quem Baluzio destinavi fasciculum Luretiam deferri. Quodsi placuerit addere, Princeps Optime, Monumenta Paderbornensia, laudatum abs me ideoqve jam desiderarum opus, multum sibi Baluzius gratulabitur.

XXXV.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS Coadjutor Monasterienſis

S. P. D.

Cl. Viro HERMANNO CONRINGIO suo.

IN ea, mi Conringi, tempora incideramus, ut necessario omittenda nobis literarum commercia tecum & cum aliis doctis Viris tantisper fuerint, & de salute propria magis quam de literis cogitandum. Reddita verò nunc pristinâ tranquillitate & pace Electori Brandenburgico concessa, resloresçunt studia nostra;

At

Digitized by Google

At Patria metu ultimæ calamitatis liberata plurimum debet Regi Christianissimo, qui per Turenianum exercitum harpyas illas binc fugavit. Quæ fuga etsi mihi & multis perquam utilis acciderit, quia tamen ad ignominiam & dedecus Germanicæ nationis nostræ pertinet, valde mihi displicuit. Ita vis consilii expers moleruit suâ. Jam Cæsarei etiam sine suppetiis Brandeburgici se in Germaniam propediem redituros minantur. Contra Turenius composita pace Brandenburgica ditionibus quidem Electoris excessit, attamen cum insigni exercitu æstiva habet in proximo comitatu Waldecensi, ut Cæsareis consiliis & fœderatorum Principum securitati invigilet, tam exacta disciplina, ut proximus miles diœcesi meæ nullum afferat incommodum, imo banc ditionem nemo Gallorum ingressus fuerit, aut ingrediatur, nisi præsenti pecunia coemendi necessariam annonam causâ. Interim capto jam Trajecto ad Mosam magis ad pacem res videntur inclinare, quæ tam victis necessaria, quam victoribus expedit. Illustriss. Verjusius tui perquam cupidus cras binc Berlinum abibit, & ex itinere fortasse Wulfenbutelam divertet. Legi cum voluptate transmissas mibi paginas antiquitatum Academicarum, & per eum, qui binas mibi epistolas tuas reddidit, mitto ad te imaginem Archiepiscopi de Marca à Baluzio promissam, ad quem etiam fasciculum tuum propediem destinabo. Is Monumenta mea jam possidet, & pluris merito mea videtur æstimare. De ejus epistolii parte mecum communicata gratias tibi habeo, optoq; ut porro ejus viri amicitiam ac memoriam mibi conserves atq; custodias. Vale Neubusii Nonis Juliis. M DC LXXIII.

P. S. *Inclusas ad Maderum datas, ubi legeris, ad eum mittas velim.*

XXXVI.

XXXVI.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS

Coadjutor Monasterienſis

S. P. D.

Cl. Viro JOACHIMO JOHANNI MADERO.

JAm ante, mi Madere, virtute & eruditione tuâ mihi eras notus, qvam Epiſtolam tuam ſuperiori anno & menſe Septembri datam paucis adhinc diebus accepi, una cum Dithmaro Mersburgenſi tuo ad me miſſo, de quo dono gratias tibi habeo plurimas & tantum debeo, quantum respublica literaria universa tibi propterea ſe debere fatetur. Pergeitaq; hocce præclaro antiquitatis illustrandæ ſtudio, de patriâ, de literis, & de poſteritate bene mereri. Meum patrocinium, mea opera nunquam tibi deerit: etſi enim parum otii nobis ſuperſit â Reipubl. curis, quod bonis literis conſecremus, amamus tamen ejusmodi ſtudia & eorum cultores tui perſimiles. Ita nunc hiſtoria Paderbornenſis ductu noſtro & auſpiciis conſcribitur. Cujus primus tomus ab Auguſto uſq; ad exceſſum Caroli M. jam tum eſt abſolutus, & alter nunc componitur de Epiſcopis Paderbornenſibus, cui facile centum & triginta antiqua Cæſarum primorum diplomata nunquam hactenus viſa nec edita inſerentur, præter centum & viginti Bullas Pontificias & innumera aliarum literarum publicarum monumenta. Qvare rem nobis gratiſſimam feceris, ſi quid in ſchedis tuis repereris & nobiscum communicaveris, quod ad hiſtoriam Paderbornenſem facere videatur, præſertim de Epiſcopis noſtris Anteceſſoribus. Monumenta noſtra tibi cum poematibus meis non diſplicuiſſe, magnopere nobis placuit, & quoniam Typographus novam

vam urget editionem, exemplis primis facilè divenditis, majorem in modum â te peto, ut si quid in iis emendandum, delendum aut addendum censueris, nos tempestivè moneas. Vale Neubusii Non. Julii. M DC LXXIII.

XXXVII.

EMINENTISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME.

QUas per Ludgerianos nostros unà cum aliis misisti jam tum mense Julio, ad eas pridem respondissem addito illo libro quem Bibliothecæ Tuæ, Princeps Optime, destinavit Antonius Ulricus Dux, nisi commoditas hactenus defuisset fidei meæ concreditum donum offerendi. Non scilicet Mercurius ille Huxuariensis prout solebat, ad nos aliquamdiu excurrit: nec quamvis studiose indaganti obviam factus quisquam, qui in terras vestras vellet proficisci. Eoqve plurimum me profecto exhilaravit hic homo: cui, cum commodam quæreret rationem tutò Tureniano exercitui sese jungendi, utpote gente Gallus, auctor fui Agrippinates petendi itinere per Paderbornenses facto. Mitto igitur jam tandem Optimi Ducis Antonii Ulrici munus, simulqve ejus nomine plurimam Tibi, Princeps, salutem opto dicoqve: haud dubitans librum haud fore inacceptum, idqve cumprimis quia venit ab illa manu benevolâ & amicitiam Tuam in magno pretio æstimante. Utinam possim jam tum addere â memetipso consecrata Eminentissimo Patrocinio Tuo! quoniam intelligo partem eorum placuisse. Verum ea me occupationum moles aliquamdiu exercuit, ut de Antiquitatibus Academicis vix cogitare licuerit. Si quid porrò subcisivi fuit otii, id impendendum fuit, ex consilio, ne dicam jussu, Legati Cæ-

ſarei Comitis de Windiſchgratz, operi alteri de Republicâ Imperii Germanici, quia & in Cæſareâ Aulâ dicitur exſpectari imo deſiderari. Spero tamen propediem ſaltim illo me onere levatum iri; ubi nempe prodierit favente Lucina: atqve ita poſſe me reverti ad Academica. Nihil ſane fuerit mihi prius, niſi nova juſſa Cæſaris me turbaverint ad Fines Imperii iteratâ curâ tutandos, argumentum & difficile & obnoxium odiis hâc præſertim tempeſtate, qua Germania noſtra paſſim in Galliam aliaque vicina regna commigrat, Republica ipſa Imperii nec vitia ſua ferente nec vitiorum remedia. Conficiunt me ſanè quamvis extra armorum ſtrepitum poſitum, loco hactenus tranqvillo, communis patriæ aliæ ex aliis emergentes adverſitates. Tantum pro ſolatio eſt pacis propinquitas quædam major, vel ſaltim illa ejus quam mihi feci promiſſio. Ne quid nempe diſſimulem, exiſtimo equidem omnibus belligerantibus partibus brevi defuturos gerendarum rerum nervos, ſi fas eſt hac voce pecuniam appellare: atqve ita feſſos languidosqve non multum iniquis conditionibus redituros in concordiam. Quod meum augurium utinam Tuæ etiam, ſapientiſſime Princeps, ſententiæ ſit conſentaneum. Illuſtriſſimum Verjuſium & Brunſvigæ durante adhuc Saxoniæ noſtræ Procerum conventu, & hic cum Berolinum peteret, ſalutavi, ut & fratrem ejus Abbatem, utrumqve virtutum Tuarum ex merito laudatores. Et verò jam non Italos ſolos & Germanos noſtros ſed etiam Gallos tenet Tui admiratio. Quid in noviſſimis ſuis Baluzius de te retulerit, ſignificabit injecta ſchedula: aliorum ſententias magnâ cum voluptate intellexi ego ex libellis Poëmatum, pro quorum communicatione gratias ago maximas. Sed & Cæſareum Legatum uſque adeo raræ eruditionis Tuæ ce-

cepit veneratio, ut, quo nonnihil explerem ejus desiderium ego ipsi miserim Monumentorum Paderbornensium primæ editionis exemplum quod reliqvum erat; alia nimirum ex sacrario meo promere vetuit religiosior Tui cultus, etsi impense ille desideraret. Vir sanè est egregius, nec indignus Tuis etiam muneribus: & vero eorum non equidem dubitavi, fiducia Tuæ erga bonos quosqve benevolentiæ, illi spem facere, gavisurus si ex Daniâ reduci liceat illa offerre. Baluzio si fasciculus meus fuerit transmissus, multum lætabor: quoniam omnis penè commoditas aliquid Lutetiam curandi præter nudas epistolas hodie intercepta est. Sed & literæ quoque nunc solitò rarius inter nos commeant præ novis hisce Germaniæ motibus. Faxit DEUS, ut brevi redeat pax aurea, idqve ex voto & augurio meo. Idem verò Te longùm sospitet & Reipubl. & doctrinæ melioris bono. Hoc equidem Deum obsecro

Eminentissime Princeps

Tuus
ut atem
servus devotissimus
Hermannus Conringius.

Helmstadii 8. Novemb.
Anno 1673.

XXXVIII.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS Coadjutor Monasterienſis

S. P. D.

Cl. Viro HERMANNO CONRINGIO suo.

SEcuram nactus occasionem literis tuis 8. Novemb. ad me datis & serò mihi nunc redditis respondeo, & binos hos fasciculos Monumentis Paderbornensibus graves ad te mitto, ex

quibus unum Illuſtriſſimo Comiti Windesgratio, Hafniâ revertenti poteris largiri, eiq; meis verbis teſtari, illius præclaras ingenii dotes & doctrinam, ut toti Germaniæ noſtræ cognitas, ita nec mihi eſſe ignotas, meq; eſus amicitiam magnopere expetere, te interprete nobis comparandam. Plurimum debeo Optimo Principi Antonio Ulrico de literario dono ad nos miſſo, gratiis inſuper actis de perpetuâ noſtri memoria, quã conſervat.

Jam diu nihil literarum è Galliis à Baluzio noſtro ad me eſt allatum præſentis belli motu infeſtis itineribus: exſpecto tamen ciſtam inde inſigni librorum ſupellectile refertam, quam Pariſiis emi juſſi. Utinam tandem pax redeat optima rerum & Muſis noſtris amica! Gallicus exercitus Duce Luxenburgico, jam Hiſpanis & Batavis copiis, trajecto Moſa ad biberna deductis, recta in Cæſareos movet, ut propediem de magno prælio quid ſimus audituri, quod DEUS Optim. Max. meliori cauſæ jubeat bene evenire. Huxaria nunc à Gallis relicta & deſtructo funditus ponte illic Viſurgi inſtrato, veſtris ditionibus in omnem caſum melius quam nobis eſt cautum: timeo enim ne ſuperioris anni hoſpites has regiones ſint inviſuri denuo: ita qvicqvid delirant Reges, plectuntur Achivi. Vale meq; de ſtudiis & laboribus tuis porro redde certiorem. Neubuſii Non. Decemb. M DC LXXIII.

XXXIX.

EMINENTISSIME PRINCEPS

Domine Clementiſſime.

SPectatâ manu Tua equidem plurimo ſum gaudio perfuſus: cumprimis verò ubi ex literis ipſis intellexi, & Tua hactenus omnia ſalva & mei patrocinium integrum ſupereſſe. Legato Cæſareo, ſimulac ex Daniâ, ubi præ-

Digitized by Google

præter exſpectationem diu detinetur, redierit, reddam quæ juſſiſti additis verbis tuis. Quæ indubie per illi erunt grata, & cum aliis Cæſareæ Aulæ Miniſtris communicabuntur, in nominis Tui, Princeps Optime, cultum præcipuum. Antonio Ulrico Duci proximâ hebdomade reddam itidem Epiſtolæ Tuæ verba: quo amicitia veſtra magis magisqve confirmetur in Reipublicæ bonum. Pontem Huxuarienſem ab ipſismet Gallis eſſe deſtructum, benè eſt: alioquin is labor â noſtris debuiſſet ſuſcipi. Veſtris terris hac quidem hyëme nihil adverſi metuo, præſertim ſi modeſtè ſe ſe geſſerit Monaſterienſis; idqve quoniam ad Rhenum excubans Luxenburgicus non patitur Cæſareum militem copias ſuas dividere. Prælii aleam ancipitem ne Gallos quidem auſuros ſubire, equidem arbitror; quoniam Turenianus exercitus perquam eſt debilis, & ſi Luxenburgico res haud ſucceſſerint, tota Gallia in magnum diſcrimen perveniat, multis de cauſis. Utinam moderatis conſiliis auris in tempore fuiſſet præbita! A Baluzio pridem nihil accepi, ipſum innoxium literarum commercium novis hiſce periculi plenis motibus, ut Galliam omnem, multum turbantibus. Eoqve ignoro adhuc num mea nactus ſit nec ne. Ego per Legatum à S. C. Majeſtate juſſus ſum edere denuo & quibus licet acceſſionibus perficere meum de Finibus Imperii opus. Quod onus mihi erit moleſtum: ferendum tamen, quantum video. Indubie verò facilius ego calamo Imperii fines tutabor, quam Cæſar gladio. Niſi valde fallor, eſt prima operis editio jam pridem in tuis, Princeps Optime, manibus: ideoqve ſubmiſſe rogo, quia non mea ſed Imperii cauſa agitur, cujus tu, Princeps, nobile es membrum, ne graveris eruditis tuis auxiliis me adjuvare. Quas in Academia hac noſtra habui olim de Republ. Imperii Exercita-

tiones, unum in volumen coactæ propediem ultimam manum meam consequentur. Quicquid ejus est editum, hâc vice mitto: reliqua commode brevi sequentur. Opus hoc & meum & non meum est: permisi scilicet bonam curæ partem auditoribus pro ætatis & ingenii modulo. Hâc novâ autem recensione plurima mutavi auxique. Etiam in hisce observabis indubie pro eâ quâ vales doctrina, literatissime Princeps, haud pauca non bene dicta: ignoscès tamen cespitanti, imo docebis me rectiora: quia in Principum saltim ordine unus tu id potes. Non tantum sane de me, sed etiam de Imperio hoc ipso haud parum mereberis. Deus & novum imminentem & plurimos alios secuturos annos addat constanti tuæ felicitati. Ego manebo

Eminentisime Princeps

Helmstadii 15. Decembr. Anno 1673.

ætatem
Tuæ
fidelissimus servus

Hermannus Conringius.

P.S. Prodiit nuper *anonymi* scriptoris libellus vernacula nostra lingva conscriptus titulo: Erörtete Französische geheime Rathsstube. Is, si quis hujus argumenti alius, me judice, dignissimus est quem etiam Tu, prudentissime Princeps, cum curâ legas. Nisi fallit conjectura, editus est libellus Francofurti. Fortassis jam est in manibus. Sin, faxo ut nanciscaris, si etiam Tibi, Princeps, ita videatur.

XL.

Digitized by Google

XL.

EMINENTISSIME PRINCEPS, *DOMINE CLEMENTISSIME.*

CUm xv. Decembris Tuæ cum ſex Monumentorum Paderbornenſium exemplis mihi traderentur, confeſtim reſpondi. Ex eo autem a Clementiſſima Tua manu nihil accepi. Ego quoqve ſilui: non alia tamen de cauſâ præcipuè, quam quod defuerit meorum libellorum mittendorum commoda occaſio; imo, ne quid diſſimulem, quod ſine dudum promiſſo & debito libro Antiquitatum Academicarum in conſpectum Tuum prodire erubeſcerem; illi autem abſolvendo vacare, neqve mihi partim præ valetudinis vitio partim præ infinitis negotiis, neqve operis typographicis, permitteretur. Et vero demum hiſce proximis ſex hebdomadibus ultimam manum licuit admovere, nec impoſitus eſt finis niſi die heſterno. Remoto igitur tandem aliquando iſthoc quaſi obice, qui ſcribendi officium, integrum ſemeſtre ſpacium eſt remoratus, nihil jam quidem decens magis eſſe arbitror quàm redire ad priſtinam ſcribendarum literarum diligentiam. Non enim ſperaverim deceſſiſſe aliquid iſthoc temporis intervallo Tuæ in me gratiæ; Quod ſi autem offenſam aliquam commerui, ſubmiſſe veniam mihi concedi peto atqve obſecro: neqve Tu, Princeps Optime, mihi roganti eam, ſcio, denegabis. Enimverò etſi liber meus nondum eâ qua par eſt ratione ſit politus, atqve adeò indignus qui in manus Tuas veniat (nec enim recentiſſimæ plagulæ patiuntur compreſſionem vimqve illam quam bibliopegi munus exigit) ità tamen cupidè revertor ad ſolitum obſequium, ut hac quidem vice malim peccare in rudi libello offerendo, quam

quam longiore literarum scribendarum intermissione. Non dubito autem, Eminentissime Princeps, hoc quoqve haud futurum Tibi ingratum: præsertim quia, simulac adornare librum licuerit, novâ missione ille Bibliothecæ Tuæ consecrabitur, justè expolitus.

Interim quod in Epistola dedicatoria pariter & supplementorum fine supplex rogavi, id nunc etiam repeto eodem animo: nempe ne dedigneris clemente oculo excipere leve hoc munusculum, donec majore testimonio ad posteritatem referri abs me possit qua te prosequor pia reverentia.

Illustris. Legatus Cæsareus Windischgratius & legit Epistolam Tuam & Monumenta Paderbornensia accepit cum summa voluptate & Tui nominis laudatione. Jussit suo nomine gratias agere pro habito hoc honore, & obsequia sua quovis tempore paratissima polliceri. Dedi verò eidem & alia bina Monumentorum exempla; & quidem alterum Comiti de Lamberg Cæsareorum Ministrorum tantum non potissimo offerendum, quia hujus eruditionem multùm laudavit Windischgratius, alterum destinavit ipse itidem Aulico cuidam literato. Quartum exemplum a me nactus est Joannes Andreas Bosius, perquam doctus Jenensis Academiæ Professor: quia constituerat Tuo, Princeps, nomini consecrare Cornelium suum Nepotem simulqve justâ Te laude prosequi. Etsi autem fefellerit me isthæc expectatio, præmatura enim morte vir doctissimus est ereptus; non improbabis tamen, scio, consilium meum. Quinto donavi virum & genere & dignitate & doctrina perillustrem Gebhardum de Alvensleven, generosæ illius familia hodie principem: idque quoniam Tua jam tum magni æstimabat primæ editionis diligens lector, & simul studiosissimus est rei genealogicæ indagator. Mitto quæ mihi respon-

respondit vir Illustris etiam de origine suæ familiæ; quo expendi possit rectius, eorum quæ abs te sunt eodem de argumento narrata, veritas. Si sane & hunc annumeraveris Tui admiratoribus, non fallêris Princeps Optime. Sextum exemplum cui donem, nondum inveni satis dignum: faxo tamen ut & hujus lectorem reperias, doctrinæ Tuæ justum æstimatorem.

Cum illi quod ultima vice misi Exercitationum Academicarum volumini nonnulla desint, plagulas aliquot jam addo in supplementum. Magna libertate in iis disserui, fateor, de plærisque Imperii Germanici negotiis: quoniam omnino mihi persuasum est, communi reipublicæ vinculo consistere adhuc quicquid supereſt, nec quidquam etiam singulis magis esse noxium quam nimiam libertatem, ad quam tamen multi nimis adspirant. Proindeque exegi tantùm non omnia ad salutem communis illius corporis: atque adeo non potui dissimulare, quantum, me judice quidem, hic sit aberratum hactenus ab Imperatoribus pariter atque Ordinibus Imperii, quidque cavendum sit imposterum ne respublica tota corruat. Fortasis meorum quam multa paradoxa censebuntur, & audientur ægris auribus: Saltim plæraque tamen confido haud improbatum iri iis qui & prudentia valent, & serio amant Imperii conservationem. Quicquid sanè eorum tu probaveris, Princeps sapientissime, id probè abs me dictum arbitrabor, spretis aliorum voculis. Si displiceant nonnulla etiam Tibi, saltim rogo veniam mihi indulgeas amore boni publici aberranti, nullius autem privati commodi exspectatione.

De præsente Imperii statu quidquam adjicere, horret animus luctuqve refugit. Usqve adeo ferè nihil est quod omnino placeat. Pax optima rerum. Utinam brevi nos re-

ſpiciat benigno vultu, idqve in diuturnitatem! Saltim Tua omnia, optime Princeps, vigeant floreantqve!

Ita Deum obſecro

Tuus

Eminentiſſime Princeps

Helmſtadii 23. Auguſt. Anno 1674. *devotus ſervus*

Hermannus Conringius.

P. S. A Baluzio pridem nihil accepi literarum: ego etiam cogor a ſcribendis literis quamvis innoxiis manus abſtinere, ne animos ſuſpicaces irritem. Verjuſium Berolino aut jam diſceſſiſſe, aut decedere cum Sereniſſ. Electore, quem ajunt die craſtini Magdeburgi exſpectari, non equidem dubito. Rogo etiam atqve etiam, Princeps Optime, ne graveris, per aliquem tuum mihi ſignificari, num is Faſciculus, quem Neuhuſium deſtinavi ante annum præter propter, Lutetiam fuerit curatus & Baluzio traditus.

Hoc monumento vagatur hic fama de atrociſſimo prælio Fœderatorum & Condæi: quod tandem illorum ingens victoria exceperit. O rerum viciſſitudines! ô fructus ambitionis & infinitæ imperandi cupidinis!

XLI.

EMINENTISSIME PRINCEPS

Domine Clementiſſime.

ET literæ & quæ iis adjunxi, quæ inter & Verjuſii fuit epiſtola, quoniam Auguſto jam tum menſe Cancellariæ veſtræ tabellioni curanda ſunt tradita, haud dubie pridem in Celſitudinis Tuæ manus recte pervenerunt. Jam mitto exemplum conſecrati Nomini Tuo eminentiſſimo

Digitized by Google

mo libri, expolitum nonnihil ut in Bibliothecam recondi poſſit. Submiſſe autem rogo obſecroqve, ut digneris huic locum aliquem inter reliquos Tuos concedere. Etſi enim honorem illum & gratiam haud mereatur mea in conficiendo illo adhibita opera; confido tamen, nec argumentum, nec quod voluerim publicum aliquod meæ in Celſitudinem Tuam devotæ pietatis indicium & monumentum exhibere, ingratum futurum.

Quod ſi quâ parte, ſive in hoc libello ſive in aliis chartis, videar peccaſſe, veniam mihi clementer indulgeri, iterum iterumqve obſecro. Et verò non prius erit animus de priſtina gratia tua ſecurus, quam ſolito more a manu Tua literarium beneficium fuerim conſecutus. Utpote qui ſtudeam & eſſe & haberi

Tuus

Eminentiſſime Princeps

Helmeſtadii in Acad. Juliâ
13. Novembr. 1674.

ſervus fideliſſimus
Hermannus Conringius.

XLII.

FERDINANDUS EPISCOPUS ET PRINCEPS PADERBORNENSIS Coadjutor Monaſterienſis

S. P. D.

Cl. Viro HERMANNO CONRINGIO ſuo.

EPiſtolam tuam XXIII. ad me datam cum dono Antiquitatum Academicarum, quas mihi inſcripſiſti ac dedicaſti, accepi quidem, ſed debitum ei reſponſum diſtuli, uſq; dum alterum promiſſum exemplar mitteres, quod nunc una cum literis tuis XIII. Nov. exaratis mihi eſt redditum. Quare ut hanc qua-

lemcunq; moram excusatam habeas rogo, & nunc gratias tibi ago amplissimas de hoc erudito opere nobis dedicato, quod Bibliothecæ nostræ, præter cætera tui ingenii monumenta non minus erit ornamentum, quam tuæ erga nos voluntatis apud seram posteritatem testimonium sempiternum. Munusculum quod tuis licet meritis impar rependo, quæso æqui bonique consulas nostri erga te amoris pignus. Cæterum plurimum etiam tibi debeo de conciliata mihi amicitia Nobilissimi Gebhardi de Alvensleven, cujus judicium de re genealogica non parvi facio, gaudeoq; non infirmiora illi quam nostræ genealogiæ Autori fortasse argumenta suppetere illustrandi stemmatis. Ut hoc etiam scias, Epistolam Verjusii, quam te primis literis adjunxisse scribis, non accepi, non parum mirato Verjusii fratre qui ante discessum hic me salutavit. Vale meq; ut facis ama. Neuhusii 4. Dec. 1674.

XLIII.

EMINENTISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME.

QUæ quarto Decembris mihi destinasti, rectè quidem, sed serò admodum, nempe demum secundo Februarii, reddita sunt. Etiam sic tamen plurimum me exhilaraverunt; cumprimis quod luculentum præbuerint testimonium gratiæ tuæ erga me integræ. Nec verò opus fuerat in id probandum splendido quod addidisti munere: neq; ego quidquam aliud quam epistolam manu tuâ scriptam in signum pristinæ benevolentiæ exspectabam. Quia autem Tibi placuit vincere meam exspectationem, non equidem invenio verba quibus & me vicissim expectorem, & justas tibi agam gratias. Patere igitur, Domine, nunc quidem sacro silentio id præstare quod verbis nequeo: non minus tamen sancte promitto, in hominem memorem & gratum beneficium abs te esse collatum. Librum ipsum haud displicere, gaudeo plurimum. Cum enim eximiâ multum doctrinâ valeas & acerrimo polleas judicio, potest mihi isthæc tua approbatio esse pro aliis

aliis omnibus: nisi forte exuberans gratiosus affectus dictaverit tam bona verba. Mitto nunc ejusdem prope argumenti & alium libellum, impolitum tamen, quia nondum aptus est tolerare violentiam bibliopegi. Quo excuso typis, convertere me jam cogor ad perficienda nonulla πολιτικώτερα. Et quidem jam penè constitui, initium laborum istorum facere à re Nummariâ, quæ hodie, summo Imperii detrimento, est perquam turbata. Quæ de Finibus Imperii ex aula Cæsareâ perficere sum jussus, illa hoc rerum statu vix tangere audeo. Utinam maneant nobis integri saltim illi Fines, qui pace Monasterienſi fuerunt constituti! sed vereor pejora. Qvum literas suas Verjusius mihi concrederet, jam clauseram fasciculum tibi, Princeps, destinatum. Intra extimum tamen operculum illas protrusi; sic satis tuto eas ibi recondi arbitratus. Nec verò inde potuerunt eripi, nisi manus iniqua accesserit. Quid factum nec ne, poterit Cancellariæ vestræ tabellarius narrare, qui ex manu mea fasciculum curandum accepit. Nolim equidem fidem meam in suspicionem adduci. Cum Gebhardo Alvenslevio colloquendi dabitur proximâ hebdomade Wolfenbutteli in aulâ commoditas. Haud dubiè lætabitur, etiam abs Te, Princeps Optime, non improbari videns suam stemmatis illustrandi operam: ut est præstans omnigena virtute & agendarum rerum dexteritate, gentis suæ magnum decum. Deum veneror, ut non tantum hunc sed multos etiam secuturos in seram senectutem annos feliciter tibi decurrere jubeat. Hoc opto, hoc Deum precor.

Tuus

Eminentissime Princeps

Helmestadii 6. Febr. 1675. *devotus servus*

Hermannus Conringius.

XLIV.

EMINENTISSIME PRINCEPS

Domine Clementissime.

Quas sexto Februarii exaravi, spero unà cum libello pridem esse curatas. In iis significaveram, fore propediem ut in aula cum generoso Domino Alvenslevio possim agere de Tuo, Prin-

Digitized by Google

ceps, judicio ſuper ejus ſtudio circa illuſtrationem illuſtris illius ſtemmatis. Fefellit autem exſpectationem incommoda magni illius viri valetudo. Itaqve partem illam literarum tuarum deſcriptam, per epiſtolam illi communicavi. Uſqve adeo autem Tua, Princeps, ſententia, virum optimum excitavit, ut haud dubitaverit, quem mitto faſciculum, Tibi deſtinare; veneratus tamen ſimul ita eſt Principale Tuum faſtigium, ut non niſi per me voluerit aditum ſibi parari. Ego vero, conſcius inuſitatæ Tuæ cum tanta dignitate conjunctæ benignitatis erga quosvis, me parario non eſſe opus exiſtimo, ſed omnino faſciculum hunc benevolâ manu acceptum iri, cum ejus quo Te, Princeps, proſequitur Alvenslevius noſter devoti cultus, tum etiam argumenti ipſiusmet nomine. Addo autem non etiam juſſus, ab eodem Nobiliſſimo Alvenslevio mihi nunc miſſam etiam alteram chartam, qua conſignavit eos qui eundem Tecum natalem annum habent: quoniam hæc etiam curioſa opera ſignificat animum, Eminentiæ Tuæ omni ſtudio deditum. De proprio meo addere nihil nunc poſſum. Veneror autem Deum, uti pace iterum conſtituta, liceat Tibi, Princeps Optime, frui, juxta Reipublicæ curas, ſuavi tranquillitate literaria; & mihi perpetua Tua gratiâ, quia ſum

Tuus

Eminentiſſime Princeps

Helmeſtadii d. 8. Martii Anno 1675.

ætatem devotus ſervus

Hermann. Conringius.

XLV.

EMINENTISSIME PRINCEPS

Domine Clementiſſime.

HAud me fugit, quæ hodie intemperies rempublicam Imperii exagitet, quæq; proinde etiam Tibi ut Principi creentur moleſtiæ: eoqve vix audeo curas tuas interpellare; quoniam tamen Sereniſſimus Princeps Antonius Ulricus Tibi mittere juſſit, quæ in ſacris nuptialibus primogenitæ filiæ nuper in Orcheſtra ſunt ad ſaltum cantata, non poſſum illa non offerre. Addo autem & partem Epi-

Epistolæ manu Principis ad me datæ; non quo commendem ejus erga te affectum, utpote quem esse summum jam tum Tibi constet; sed in id, quo magis magisq; inter vos Principes crescat mutua benevolentia; Persuasus scilicet, absq; concordibus Principum studiis rempublicam salvam esse non posse. Quæ rei literariæ usui nunc paro, simul viderint lucem, ea qua par est humili observantia offeram censenda; Deus te servet, Princeps Optime, in seram senectutem reipublicæ commodo, simulq; reddat Germaniæ pacem saltim in multos annos. Ita precor; quia perpetuam pacem ne sperare quidem ausim.

Eminentissime Princeps

Helmestadii 25. Martii
Anno. 1675.

Tuus ero fidelis servus quamdiu vixero
Herman. Conringius.

XLVI.

EMINENTISSIME PRINCEPS

Domine Clementissime.

QUæ mitto, madent adhuc aliqua sui parte à prælo: quum occasio tamen mihi offeratur mittendi nonnihil, judico officii mei esse illam haud negligere. Non quod illæ meæ chartæ sint tanti, sed ut conservem mihi munusculo aliquo Tuam Principalem gratiam. Forte etiam poterunt hæc levare aliquantulum molestas reipubl. curas, tantum si perlustraveris: præsertim quia haud dubito, etiam ad hæc argumenta capax ingenium tuum solere se demittere. Ego sane multum gaudebo, ubi ne hæc quidem inaccepta fuisse intellexero. Proxime mihi denuo agendum esse de Finibus Imperii Germanici, etiam publicè non dissimulare fui coactus. Spero quoq;, posse jam meos illos conatus saltim excusari, quia præter exspectationem res Imperii restitutæ nonnihil sunt in integrum hâc æstate, ut liceat meliora quæqve ominari. Rogo autem etiam atq; etiam, Principum Imperii literatissime, uti ne graveris suppeditare ea quæ ad tam nobile argumentum excolendum facere videbuntur. Nec verò mea sed Imperii res agitur: & haud dubie plurima supersunt vel intacta mihi hactenus vel perperam tradita. Quæ mense Martio bis misi, spero re-

Digitized by Google

ctè curata & manu benigna esse accepta. Alvenslevius noster avidè desiderat sententiam Tuam, Princeps, de suis per me transmissis: verentem offensam Tuam securum esse jussi ego, gnarus Principalis tuæ benevolentiæ, etsi solito diuturnius fuerit silentium tuum. Deus te servet, Princeps Optime, bono publico.

Eminentiæ Tuæ

fideli obsequio
ætatem
devotissimus
H. Conringius.

Helmestadii 7. Octobr.
Anno 1675.

XLVII.

CELSISSIME PRINCEPS
Domine Clementissime.

ADventus Nobilissimi Buschii nulla ratione mihi magis est acceptus, quam quod offerat, sese librum meum ultimæ fœturæ Celsitudini Vestræ curaturum. Illum itaqve nunc mitto, debita summissione animi rogans, etsi ille sit fortassis non ex Celsitud. V. sententia omni ex parte confectus, ne gravetur tamen Celsitudo V. saltim ea quæ mihi imputavit adversarius, factâ cum defensione mea contentione, æquo judicio arbitrari. Habeo nunc sub manibus novam Editionem operis de Finibus Imperii, idqve jussu S. Cæsareæ Majestatis: vereor autem intempestivam hanc operam esse Imperio ad finem ultimum ruente. Utinam liceat si non coram saltim per literas querelas libere in sinum Celsitudinis V. super his aliisqve Reipubl. malis effundere! Sed Deum potius veneror, uti Celsitudinem V. in seram usqve senectutem conservare, vel saltim hunc annum feliciter decurri, faciat, jubeat.

Celsitudinis vestræ

ætatem omnem
devotissimus servus
Hermann. Conringius. D.

Helmestadii 3. Jan. 1678.

XLVIII.

Digitized by Google

XLVIII.

REVERENDISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS

Domine Clementissime.

QVum fama publicâ acciperem, Celsitudini Vestræ Monasterienſem qvoqve ſacrum Principatum obtigiſſe, graviter quidem decumbebam: egi tamen Deo Optimo Maximo gratias, ſimulque ſummum illud Numen ſum veneratus, uti felicitatem hanc velit jubeat in ſeram uſqve ſenectutem, & publico & privato commodo, conſtantem ac perpetuam eſſe. Non dubitavi etiam preces illas meas rati habiturum clementiſſimum Deum: dolui vero præ morbi ſævitiâ non poſſe me Celsitudini Veſtræ, quo par erat modo, gratulari, meumqve illum affectum calamo ſignificare. Et verò nunc demum mihi per valetudinem permittitur, exponere cùm gaudium, tùm vota iſthæc mea. Serò quidem, fateor: haud dubito tamen mihi polliceri, hoc ſerum judicium ſerii humilis animi clementiſſimâ gratiâ exceptum iri. Nunc itaqve tantum opto, ut cumprimis hic proximus annus Celsitudini Veſtræ feliciter decurrat: idqve quoniam reſpublica quaſi ſtat in præcipiti, hoc ipſo temporis momento, uti niſi ſapientibus conſiliis imminens malum caveatur, tantum non σαναστασία meritò ſit metuenda. Si ſanè hic annus pacem reddiderit, licebit impoſterum optima quævis expectare: quapropter equidem pergam Deum precari, ut ſaltem hic annus voto meo reſpondeat.

Celsitudinis Veſtræ

Helmeſtadii 29. Decembr.
Anno 1678.

quoad vixero
fidelisſimus ſervus
H. Conringius.

INDEX RERVM PRÆCIPUARUM.

A.

ACta SS. Martyrum Perpetuæ & Felicitatis: an Tertulliano fuerint in manibus. 28. *notarum in ea Holſtenianarum animadverſio Conringii.* 29. ſeqq.
Alvenslevii judicium de re Genealogica. 80. ſ. 84. ſ.
Amicitiam inter Duces Brunſvicenſes & Furſtenbergium conciliare & confirmare jubetur Conringius 23. ſ. 26. 39. 77. 87. &c.
Ampſivarii quas olim terras tenuerint. 14
Angrivarii an ſint populus Francicus. 14
de Antiquitatibus Academicis librum Fürſtenbergio dedicare voluntas eſt Conringio. 42. *quam ille libenter accipit.* 43. *ipſe liber transmittitur primùm impolitus.* 79. ſ. *dein politus.* 82. ſ. *dedicationem Princeps remuneratur.* 84
Arminius an condiderit Irmenburgum. 17
Auxiliarii militis inſolentia. 62

B.

BAluzii encomium. 50. 69. ſ. *ei opem à Fürſtenbergio petit Conringius.* 18. 38 40. 46. *& impetrat.* 48
Bataviæ toti ſubjugandæ minatur Rex Galliæ. 48
Brandenburgici Electoris amicitiam Furſtenbergio conciliare ſtudet Conringius 54. ſ. *ejus copiæ Belgarum partes tuentur.* 64. ſ. *pax cum Gallo.* 70. ſ.
Bructerorum antiquæ ſedes. 14

C.

CÆſareis prælium minantur Galli. 76. *de quo Conringio aliter videtur.* 77

Ca-

Digitized by Google

Capitulare Carolinum à Furſtenbergio erutum. 2. edit Conringius 4
Catti olim qui fuerint. 14
de Chaldæorum veterum ſapientia libellum daturus eſt Conringius. 22
Chamavi ubi quondam habitarint. 14
Chemicæ diſſertationes Conringii cenſorem Rottendorfium deſiderant. 22. ſ.
Cheruſci an condiderint Irmenburgum. 17
Chriſtianiſmi in Saxonibus primordia. 8
Codex Regularum Holſtenianus. 26. 31. ſ.
Cœnobitæ Ludgeriani cur non patiantur ſe componi ad rigidas veterum regulas. 32
Collectio Romana Holſtenii. 27
Comites de monte lapideo quinam & cur ita dicti. 17
Conciliorum nova editio Labbæi & Coſſartii. 52. 54. ſ. *de ejus præfatione judicia.* 52. 55

D.

DÆmonolatria priſcorum Saxonum. 7
Damnatorum pœnas non fore perpetuas multi olim crediderunt. 30
Diploma quoddam ſeculi IX. editurus eſt Conringius. 38
Diplomatis Ludoviciani cenſuram idem edit. 42

E.

EMinentiſſimi titulum recuſat Fürſtenbergius. 61
Engelbuſius primùm editus. 16

F.

FErdinandi Furſtenbergii humanitas. 3. *poëtica facultas*, ib. *epiſtola ad Senatum Acad. Juliæ* 27. 35. ſ. *ad Maderum.* 72. *ej. æſtimatio apud alios.* 74

de Finibus Imperii opus denuo edere à Cæſar. Majeſt. jubetur Conringius. 77. 88.
Franci veteres populi eorumq; origo & ſedes. 14. *qui ex iis in Galliam commigrârint.* 14. f.

G.

GAlliæ Regis contra Batavos armorum felicitas. 48. *non putatur fore conſtans.* 51. *invidiam excitat: an is pugnet religionis cauſa.* 56
Gallorum exacta diſciplina. 71

H.

HArudum antiquiſſimæ ſedes. 13
Henricus de Hervordia non eſt idem cum Henrico de Erfordia. 16 *Hervordienſem ſibi mitti avidè cupit Furſtenbergius.* 12. 19. 20.
Hollandica pecunia Germaniæ damnoſa eſt. 62. 64. ſeqq.
Holſtenii liber quidam poſthumus valde placet Conringio. 28.

I.

INnocentii III. epiſtolarum quarundam editionem à Furſtenbergio flagitat Conringius. 18
Irmenburgum Comitatus Purmontani unde nomen acceperit. 17 *an à Carolo M. fuerit deſtructum.* 17. f.
de Juris Germanici origine librum tertium edit Conringius. 4. f.

M

MArcomannorum antiquiſſimæ ſedes. 13. *cur iidem Bojoarii poſt dicti ſint.* 14

Mon-

Digitized by Google

Montauſerii elegi ad Furſtenbergium. 58. ſeq. *de iis judicia.* 53. 57.
Monumentorum Paderbornenſium prima editio. 9. *ej. cenſuram à Conringio petit Autor. ib. ej. laudatio Conringii* 15. ſ.
Monumentorum Paderbornenſium editio II. 12. *quid in ea emendandum putet Conringius.* 38. 40. ſ. *diſtribuenda Autor mittit Conringio.* 4. ſ. 52. 75. ſ. 80.

N.

De Nummaria re aliquid edere ſtatuit Conringius. 85

O.

Oſtfriſicis ſuis bonis ſalvam Guardiam petit Conringius. 55. 60

P.

Paderbornenſis ἐπισκοπῆς hiſtoria. 8
Paderbornenſis terræ ſingularis conditio. 15
Paderbornenſem hiſtoriam edit Furſtenbergius. 72
Paganiarum indiculus Capitulari Saxonico ſubjunctus an res Saxoniæ priſcæ illuſtret. 7. ſ.
Paganorum animas poſſe ex inferno, ſanctorum precibus liberari, multi olim crediderunt. 29. ſ.
Pax inter Gallum & Belgas ſperatur. 53. 64. 71. 74
Piermontani unde dicti. 17
Pöemata ſua diſtribuenda Conringio mittit Furſtenbergius. 19. 26. 34. *eorundem diſtributio Conringii.* 21. 23. 25 27.
Pöemata ſeptem Illuſtr. virorum Furſtenbergius diſtribuenda mittit Conringio. 48. 52. *de iis hujus judicia.* 49. 57
Prædæ inter fœderatos partitio. 53.

De

INDEX.

R.

De Republica Imp. Germ. librum jußu Cæsarei legati conficit Conringius. 74

De Republ. Imperii exercitationes uno volumine edit Conringius. 77. f. 81

S.

Salica lex ubi sit condita. 15

Seduſiorum antiquiſſimæ ſedes. 13

T.

Turenius Cæsareos & fœderatos observat. 71

W.

Windiſchgratii Comitis amicitiam expetit Furſtenbergius. 76

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google